gravia peccata præcipitat: *Quibuſdam enim ruina ſua gradibus deſidioſa mens, in foveam lapſus impellitur;* (inquit S. Greg. Lib. 7. *Moralium*, c. 17.) *Nam dum otioſa verba cavere negligimus, ad noxia pervenimus: ut prius loqui aliena libeat, & poſtmodum detractionibus eorum vitam, de quibus loquitur, lingua mordeat; quandoque autem uſque ad apertas contumelias erumpat. Hinc irarum ſeminantur ſtimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax tota extinguitur cordium. Unde bene per Salomonem dicitur:* Qui dimittit aquam, caput eſt jurgiorum. *Aquam quippe dimittere, eſt linguam in fluxum eloquii relaxare. Qui ergo dimittit aquam, caput eſt jurgiorum: quia qui linguam non refrænat, concordiam diſſipat. Quod autem multiloquio quiſque ſerviens, rectitudinem juſtitiæ tenere non poſſit, teſtatur Propheta, qui ait:* Vir linguoſus non dirigetur ſuper terram. *Hinc Salomon iterum ait:* In multiloquio peccatum non deerit. *Hinc Iſaias ait:* Cultus juſtitiæ ſilentium: *Videlicet indicans, quia mentis juſtitia deſolatur, quando ab immoderata locutione non parcitur. Hinc Jacobus dicit:* Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, hujus vana eſt religio. *Hinc per ſemetipſam nos Veritas admonet, dicens:* Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die Judicii. *Otioſum quippe verbum eſt, quod aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. Si ergo ratio de otioſo ſermone exigitur, penſandum valde eſt, quæ pœna illud multiloquium ſequatur, in quo etiam per ſuperbiæ verba peccatur. Sciendum quoque eſt, quod ab omni rectitudinis ſtatu depereunt, qui per noxia verba dilabuntur. Humana etenim mens, aquæ more, & circumcluſa ad ſuperiora colligitur, quia illud repetit unde deſcendit, & relaxata deperit, quia ſe per infima inutiliter ſpargit. Quot enim ſupervacuis verbis a ſilentii ſui cenſura diſſipatur, quaſi tot rivis extra ſe ducitur: Unde & redire interius ad ſui cognitionem non ſufficit: quia per multiloquium exterius ſparſa, vim intimæ conſiderationis amittit. Totam igitur ſeſe inſidiantis hoſtis vulneribus detegit: quia nulla ſe munitione cuſtodiæ circumcludit. Unde ſcriptum eſt.* Sicut urbs patens, & abſque murorum ambitu: ita vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum. *Quia enim murum ſilentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis: & cum ſe per verba extra ſemetipſam ejicit, apertam ſe Adverſario oſtendit: quam tanto ille ſine labore ſuperat, quanto & hæc eadem, quæ vincitur, contra ſemetipſam per multiloquium pugnat.*

Prov. 17. Pſal. 139. Prov. 10. Iſa. 32. Jacob. 1. Matth. 12. Prov. 25.

REGULA XVIII.

Otium iners, ac deſidioſum proxima eſt peccati lethalis occaſio.

Otium iners ac deſidioſum.

Nititur hæc Morum Regula Scripturæ Sacræ auctoritate, Eccleſiaſtici c. 33. *Multam malitiam docuit otioſitas.* Hinc de Sodoma dicitur, Ezech. 16. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis, abundantia, & otium ipſius, & filiarum ejus.* Nec mirum, *Animæ* enim *natura eſt* (inquit S. *Jo: Chryſoſt.* Hom. 35. in Acta Apoſtolorum,) *ut ſemper moveatur, & quieſcere nequeat.* Vanis itaque, inutilibus, & noxiis cogitationibus mens diſtrahatur neceſſe eſt, niſi bonis, & utilibus fuerit occupata. Otioſæ menti Dæmon illudit innumeris phantaſmatibus imaginationi oblatis. Hinc vitioſæ cupiditates excitantur, & *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus.* Otioſitas mentis ad Creatoris ſui Majeſtatem, officiumque ſuum conſiderandum non attente, primos parentes in peccatum præcipites egit, teſte S. *Bernardo*, Tract. *de Gradibus Humilitatis*, c. 10. *Tu quoque, o Eva* (inquit) *in Paradiſo poſita es, ut cum viro tuo opereris, & cuſtodias illum: ſi injunctum perfeceris, quandoque tranſitura ad melius: ubi nec opus ſit te in aliquo opere occupari, nec de cuſtodia ſollicitari... Niſi mens minus ſe curioſe ſervaret, tua curioſitas tempus vacuum haberet. Etſi culpa non eſt, culpæ tamen occaſio eſt, & indicium commiſſæ, & cauſſa eſt committendæ. Te enim intenta ad aliud, latenter interim in cor tuum ſerpens illabitur; blande alloquitur; blanditiis rationem, mendaciis timorem compeſcit;* Nequaquam, *inquiens*, morieris. *Auget curam, dum incitat gulam. Acuit curioſitatem, dum ſuggerit cupiditatem. Offert tandem prohibitum, & aufert conceſſum. Porrigit pomum, & ſurripit Paradiſum.*

Jacobi 1. 14.

Hinc Auctor Sermonum *ad Fratres in Eremo*, inter S. *Auguſt.* Opera editorum, ejuſque venerando nomini alias ſuppoſitorum, Sermone 17. ait: *Quid otioſe agere potes, niſi opera carnis? nunquam quis civis cœlorum erit, ſi otioſitatem amaverit.*

Hanc Regulam confirmat S. *Carolus Borromæus* in Inſtructione Confeſſariorum, *Nimiam otioſitatem* numerans inter occaſiones proximas lethalis peccati, in quibus poſitus homo Abſolutione Sacramentali donari non debet, donec illas omnino deſeruerit.

ARTICULUS IV.

De Remediis adverſus Acediam.

Frequens de rebus divinis cogitatio.

PRimum adverſus Acediam remedium eſt frequens cogitatio de bonis ſpiritualibus, & librorum ſacrorum, piorumque lectio: *Quia quanto magis cogitamus de bonis ſpiritualibus, tanto magis nobis placentia redduntur, ex quo ceſſat Acedia;* (inquit S. Th. 2. 2. q. 35. art. 1. ad 4.) Præcipuæ autem efficaciæ, ac virtutis eſt ad hoc vitium ſanandum meditatio Myſteriorum Vitæ, & Mortis Chriſti.

Jugis, & fervens oratio.

Remedium alterum eſt oratio jugis, & fervens, quæ Deum ſemper deſiderando peragitur, ſecundum illud S. *Aug.* Enarratione in Pſ. 37. *Ipſum deſiderium tuum, oratio tua eſt, & ſi continuum deſiderium, continua oratio. Quicquid aliud agas, ſi deſideras illud Sabbatum, non intermittes orare. Si non vis intermittere orare, noli intermittere deſiderare. Continuum deſiderium tuum, continua vox tua eſt. Tacebis, ſi amare deſtiteris.* Chriſto ergo auſcultandum eſt, Marci 13. præcipienti: *Videte, vigilate, & orate: neſcitis enim, quando tempus ſit... Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.*

Continuus Dei præſentis per fidem intuitus.

Tertium Remedium eſt continuus Dei præſentis per fidem intuitus, qui noſtrorum operum, & ſocordiæ pariter, torporiſque noſtri inſpector eſt, & judex. Hinc *Tob.* 4. dicit Tobias Senior Juniori: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Et Prov. 3. *In omnibus viis tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos.* Hinc S. *Bern.* Sermone 2. in Pſalmum *Qui habitat*, ait: *Quomodo poterit negligens fieri, qui intuentem ſe Deum nunquam deſinit intueri?*

Noviſſimorum noſtrorum memoria.

Quartum Remedium eſt mortis, aliorumque noviſſimorum, judicii ſcilicet, inferni, æternæque beatitudinis memoria; juxta illud Eccl. 8. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Cogitandum quod *Venit nox, quando nemo poteſt operari* (inquit Chriſtus Joan: 9.) Et Joan. 12. *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Hinc Salomon Eccl. 9. ait: *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Et Eccleſ. c. 14. dicitur: *Ante obitum tuum operare juſtitiam, quoniam non eſt apud inferos invenire cibum.* Hinc Apoſtolus ad Gal. 6. ſcribit; *Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet: quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Cogitandum quod poſt diem Judicii *Tempus non erit amplius*: Quod damnati fruſtra tempus requirent, quibus ob temporis abuſum ſola ſupererit exilii a Dei Regno, & ſuppliciorum æternitas. Conſiderandum tandem, quod *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (ut ait Apoſtolus ad Rom. 7.) *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, ſed quæ non videntur.*

Apoc. 10. 6.

Hanc tractationem abſolvet præclarus S. *Iſidori* locus, l. 2. *Sententiarum*, ſive *De Summo Bono*, c. 10. *Omnis* (inquit) *ars ſæculi hujus ſtrenuos amatores habet, & ad exequendum promptiſſimos: & hoc proinde fit, quia præſentem habet operis ſui remunerationem. Ars vero divini Amoris pleroſque habet ſectatores languidos, tepidos, pigritiæ inertia congelatos: ſed hoc proinde fit, quod labor eorum non pro præſenti, ſed pro futura remuneratione differtur. Ideoque dum eorum laborem mercedis retributio non ſtatim conſequitur, ſæpe pene diſſoluta langueſcunt. Unde & magna illorum gloria prædicatur, qui bona converſionis principia augmento ſolidiore conſummant: atque eo ad promerendam retributionem, clariores præparantur, quo firmius duri itineris labores & inchoant, & conſummant.* Dicam ergo Chriſtianis omnibus cum S. *Auguſt.* Serm. 234. alias *De Diverſis*, 87. *Ardete, ne ardeatis igne, quo arſuri ſunt Dæmones: ardete igne caritatis, ut a Dæmonibus vos diſcernatis. Ardor iſte ſurſum vos rapit, ſurſum tollit, in cœlum levat... Summa petit ardor dilectionis... Spiritu ferventes, accendimini igne caritatis: fervere facite vos laudibus Dei, & moribus optimis. Alter calidus, alter frigidus: calidus frigidum accendat: & qui parum ardet, optet augmentum, oret adjumentum. Dominus paratus eſt dare: nos panſis cordibus optemus accipere.*

TRACTATUS

De Virtutibus.

TRactatui de Peccatis brevem de Virtutibus Tractatum ſubnectere viſum eſt, ne quid huic Operi deeſſe videatur eorum, quæ Viros Eccleſiaſticos noſſe oportet. Non ſolum enim in vitiis evellendis, ſed in Virtutibus excolendis, & irrigandis Miniſterium noſtrum poſitum eſt.

CAPUT PRIMUM.

De Virtutibus in genere.

ARTICULUS I.

Quid ſit Virtus.

VIrtus eſt Animi habitus bonum faciens habentem, & opus ejus bonum reddens; Seu Habitus naturæ modo, atque rationi conſentaneus, qui Animam facit optimam. Quæ definitio colligitur ex S. *Aug.* Lib. qu. 83. q. 31. & Lib. *De Moribus Eccleſiæ Catholicæ*, cap. 6.

Sive, *Virtus eſt bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur.* Quæ quidem definitio ex verbis S. *Aug.* variis in locis compacta, traditur a S. *Th.* 1. 2. q. 55. art. 4. Virtutibus quidem aliquando male utuntur homines ut objectis, cum de ipſis male ſentiunt, cum illas contemnunt, cum de ipſis ſuperbiunt, ſed nunquam ipſis male uti poſſunt, ut principiis mali uſus: *Quia opus Virtutis eſt bonus uſus iſtorum, quibus etiam non bene uti poſſumus: nemo autem bene utendo male utitur:* inquit S. *Auguſtinus*, Lib. 2. *De Libero Arbitrio*, cap. 19.)

ARTICULUS II.

Quotuplex ſit Virtus.

Virtutes Theologicæ.

I. VIrtutum aliæ humanæ ſunt, ordiniſque naturalis, ſi objecta illarum ſpectemus, quia verſantur circa aliquid, quod humana ratione comprehendi poteſt, hominemque perficiunt intra fines naturæ, & rationis humanæ: aliæ divinæ ſunt, ac ſupernaturales, quæ *Theologicæ* nuncupantur. Tres omnino ſunt, ſcilicet *Fides*, *Spes*, & *Caritas*, ex Apoſtolo 1. ad Cor. 3. *Nunc autem manent fides, ſpes, caritas, tria hæc; major autem horum eſt caritas.* Theologicæ dicuntur, primo, quia Deum ut proprium, & immediatum objectum attingunt, non ſolum ut finem ultimum, ad quem referuntur & ceteræ Virtutes, non ſolum remote, ut Religio, quæ circa Dei cultum verſatur. Secundo, quia e ſolo Deo infunduntur. Tertio, quia ſola Dei revelatione hominibus innoteſcunt.

Fides. Hebr. 11.

Fides eſt Dei donum, lumenque ſupernaturale, quo mens hominis illuſtrata firmiter aſſentitur iis, quæ Deus revelavit, ac per Eccleſiam credenda proponit. Sive, ut ab Apoſtolo definitur. *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Quas definitiones primo hujus Operis Libro explicuimus.

Spes.

Spes virtus eſt a Deo infuſa, per quam certa cum fiducia vitam æternam a Deo expectamus, & tanquam gratiam filiis Dei per Jeſum Chriſtum miſericorditer promiſſam: & tanquam mercedem ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus fideliter reddendam; (ut loquitur Sacra Synodus Tridentina, Seſſ. 6. cap. 16.)

Caritas.

Caritas eſt virtus a Deo infuſa, qua Deus propter ſeipſum ſincere, & ſuper omnia diligitur, & Proximus propter Deum. Sive, *Motus animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe, atque proximo propter Deum;* (ut loquitur S. *Aug.* Lib. 3. *De Doctrina Chriſtiana*, cap. 10.

De Fide, Spe, & Caritate egimus Lib. 1. & Lib. 4. iſtius Operis; nunc Virtutum ceterarum tractationem aggredimur.

Virtutes intellectuales, & morales.

II. Virtutes humanæ, aliæ mentem, aliæ appetitum perficiunt. Illæ *Intellectuales*, iſtæ *Morales* a Theologis appellantur. In primo ordine recenſentur *Intelligentia*, *Sapientia*, *Scientia*, quæ mentem in veri ſpeculatione; *Ars* & *Prudentia*, quæ eandem perficiunt cum ordine ad opus. De primis illis quatuor Virtutibus, quæ minus proprie Virtutes dicuntur, quia nemo illis ſimpliciter, & abſolute fit bonus, non agimus impræſentiarum. Ad Logicos, non ad Theologos earum conſideratio pertinet. Unam ex intellectualibus illis Virtutibus Prudentiam præſenti tractationi reſervamus, quia non ſolum tribuit boni operis facultatem, ſed & uſum; rectamque voluntatem omnino requirit. Quamobrem nemo vere prudens eſt, qui non ſit vir probus.

Quid ſit virtus moralis. Rom. 12. Veræ non ſunt virtutes, niſi quæ uni Dei ſerviunt.

III. *Virtus Moralis eſt habitus a Deo datus homini, ad honeſtos mores, ſeu honeſtas actiones, ſecundum legis divinæ præſcriptum inclinans, propter caritatem in Deum.* Sicut enim pravis habitibus conformatur huic ſæculo, ſic virtutum habitibus mens hominis renovata Deo conformatur, ut probet, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta; (ut loquitur Apoſtolus.) Vera virtus Dei donum eſt, uni Deo ſervit, ad ipſum unum, ut ad finem, refertur, quod ſine caritate fieri non poteſt. Theologice, non Philoſophice de virtutibus loquimur. *Non abſurde virtus definita eſt ab eis, qui dixerunt: Virtus eſt animi habitus, naturæ modo, atque rationi conſentaneus. Verum dixerunt, ſed quid ſit conſentaneum liberandæ, ac beatificandæ naturæ mortalium, neſcierunt. Neque enim omnes homines naturali inſtinctu immortales, & beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus. Sed hoc ſummum bonum præſtari hominibus non poteſt niſi per Chriſtum, & hunc crucifixum, cujus morte mors vincitur, cujus vulneribus natura noſtra ſanatur. Ideo Juſtus ex fide Chriſti vivit. Ex hac enim fide prudenter, fortiter, temperanter, & juſte, ac per hoc his omnibus veris virtutibus recte, ſapienterque vivit, quia fideliter vivit. Si ergo ad conſequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Chriſto eſt, vera promittit, nihil proſunt homini virtutes, nullo modo veræ poſſunt eſſe virtutes... Abſit, ut virtutes veræ cuiquam ſerviant, niſi illi, vel propter illum, cui dicimus,* Deus virtutum converte nos. *Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuſque commodis, & emolumentis temporalibus ſerviunt, veræ prorſus eſſe non poſſunt. Quæ autem nulli rei ſervire volunt, nec ipſæ veræ ſunt. Veræ quippe virtutes Deo ſerviunt in hominibus, a quo donantur hominibus, Deo ſerviunt in Angelis, a quo donantur & Angelis.* Verba ſunt *Sancti Auguſtini*, Lib. 4. *Contra Julianum*, c. 3.

Pſal. 79. 8.

Non ſunt veræ virtutes abſque vera Religione.

Idem argumentum tractat Lib. 19. *De Civitate Dei*, cap. 25. probatque, non poſſe veras eſſe virtutes, ubi non eſt vera Religio. *Quamlibet* (inquit) *videatur Animus corpori, & ratio vitiis laudabiliter imperare: ſi Deo Animus, & ratio ipſa non ſervit, ſicut ſibi ſerviendum eſſe Deus ipſe præcipit, nullo modo corpori, vitiiſque recte imperat. Nam qualis corporis, atque vitiorum poteſt eſſe Mens domina, veri Dei neſcia, nec ejus imperio ſubjugata, ſed vitioſiſſimis Dæmonibus corrumpentibus proſtituta? Proinde virtutes, quas ſibi habere videtur, per quas imperat corpori, & vitiis ad quodlibet adipiſcendum, vel tenendum, niſi ad Deum retulerit, etiam ipſa vitia ſunt potius quam virtutes. Nam licet a quibuſdam tunc veræ, & honeſtæ putentur eſſe virtutes, cum ad ſe ipſas referuntur, nec propter alias expetuntur, etiam tunc inflatæ ac ſuperbæ ſunt: & ideo non virtutes, ſed vitia jucunda ſunt. Sicut enim non eſt a carne, ſed ſuper carnem, quod carnem facit vivere; ſic non eſt ab homine, ſed ſuper hominem, quod hominem facit beate vivere; nec ſolum hominem, ſed etiam quamlibet Poteſtatem, Virtutemque cœleſtem.*

IV. Virtutum moralium quædam ſunt directrices operationum, aliæ ſunt affectionum, & perturbationum animi, ſeu (ut vulgo loquimur) paſſionum moderatrices. Primi generis ſunt Juſtitia, & partes ejus; ſecundi generis ſunt Fortitudo, & Temperantia, ipſiſque ſubjectæ, vel adjunctæ virtutes.

S. Th. 1. 2. qu. 60.

Quatuor virtutes cardinales.

V. Celeberrima Virtutis partitio eſt in quatuor *Virtutes Cardinales*, ita nuncupatas, quod ſint tamquam aliarum fontes, & cardines, ut quemadmodum oſtium in cardine, ſic omnis honeſtæ vitæ ratio in illis verſetur, bonique operis ſtructura eiſdem inniti quodammodo videatur. Quatuor vero numerantur ejuſmodi Virtutes, ſcilicet *Prudentia*, *Juſtitia*, *Temperantia*, & *Fortitudo*; de quibus Sapientiæ 8. ſcriptum eſt: *Sobrietatem, & prudentiam docet, & juſtitiam, & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus.* Ubi per ſobrietatem temperantia, per virtutem fortitudo non obſcure deſignatur, ut obſervat S. *Auguſt.* Lib. 1. *Retractationum*, cap. 8. Illas quatuor Paradiſi fluviis adumbratas SS. Patres interpretantur, ſcilicet.

S. *Ambroſius* Lib. *De Paradiſo*, cap. 3. *Sicut ergo*, inquit, *fons vitæ eſt Sapientia, fons gratiæ ſpiritualis: ita fons virtutum eſt ceterarum, quæ nos ad æternæ curſum dirigunt vitæ. Ex hac igitur Anima, quæ culta eſt, non ex ea, quæ inculta, fons iſte procedit, ut irriget paradiſum, hoc eſt, quædam diverſarum fruteta virtutum, quarum ſunt quatuor initia, in quæ ſapientia iſta dividitur. Quæ ſunt quatuor initia virtutum, niſi unum prudentiæ, aliud temperantiæ, tertium fortitudinis, quartum juſtitiæ?* &c.

S. *Auguſt.* Lib. 2. *De Geneſi Contra Manichæos*, c. 10. *Flumen, quod procedebat ex Eden, dividitur in quatuor partes, & quatuor Virtutes ſignificat, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, juſtitiam... Prudentia ergo, quæ ſignificat ipſam contemplationem veritatis, ab omni ore humano alienam, quia eſt ineffabilis, quam ſi eloqui velis, parturit eam potius quam parit, quia ibi audivit & Apoſtolus ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Hæc ergo prudentia terram circumit, quæ habet aurum, & carbunculum, & lapidem praſinum, ideſt, diſciplinam vivendi, quæ ab omnibus terrenis ſordibus quaſi decora niteſcit, ſicut aurum optimum; & veritatem, quam nulla falſitas vincit, ſicut carbunculi fulgor nocte non vincitur; & vitam æternam, quæ viriditate lapidis praſini ſignificatur, propter vigorem, qui non areſcit. Fluvius autem ille, qui circuit Terram Æthiopiam multum calidam, atque ferventem, ſignificat fortitudinem calore actionis alacrem, atque impigram. Tertius autem Tygris vadit contra Aſſyros, & ſignificat temperantiam, quæ reſiſtit libidini, multum adverſanti conſiliis prudentiæ. Quartus fluvius non dictum eſt contra quid vadat, aut quam terram circumeat: Juſtitia enim ad omnes partes Animæ pertinet, quia ipſa ordo, & æquitas Animæ eſt, qua ſibi iſta tria concorditer copulantur, prima prudentia, ſecunda fortitudo, tertia temperantia; & in iſta tota copulatione, atque ordinatione juſtitia.*

Quam expetendæ ſint, & extollendæ quatuor illæ Virtutes, oſtendit præclara illa S. *Aug.* Sententia, Lib. 3. *Contra Academicos*, c. 7. *Illa eſt humanarum rerum ſcientia, quæ novit lumen prudentiæ, temperantiæ decus, fortitudinis robur, juſtitiæ ſanctitatem. Hæc enim ſunt, quæ nullam fortunam metuentes, vere noſtra dicere audemus.*

S. *Greg. Magnus*, Lib. 4. *Moralium*, c. 27. explicans quatuor angulos domus, in qua filii Job epulabantur, & quam ventus vehemens concuſſit: *In quatuor* (inquit) *angulis domus iſta conſiſtit: quia ſolidum Mentis noſtræ ædificium prudentia, temperantia, fortitudo, juſtitia ſuſtinet. In quatuor angulis domus iſta conſiſtit; quia in his quatuor virtutibus tota boni operis ſtructura conſurgit. Unde quatuor paradiſi flumina terram irrigant: quia dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni deſideriorum carnalium æſtu temperatur. Sed nonnunquam dum Menti ignavia ſubrepit, prudentia frigeſcit: nam cum feſſa torpet, futura non providet. Nonnunquam dum nonnulla menti delectatio ſubrepit, temperantia noſtra*

ſtra marceſcit. Inquantum enim ad delectationem præſentium ducimur, in tantum minus ab illis temperamus. Nonnunquam ſe timor cordis inſinuat, & vires noſtræ fortitudinis turbat: & eo minores contra adverſa exiſtimus, quo quædam perdere immoderatius dilecta formidamus. Nonnunquam vero amor ſui ſe Menti ingerit, eamque latenti motu a rectitudine juſtitiæ divertit, & quo ſe totam Auctori reddere negligit, eo in ſe juſtitiæ juri contradicit. Ventus ergo vehemens quatuor angulos domus concutit, dum fortis tentatio occultis motibus quatuor virtutes quatit, & quaſi quaſſatis angulis domus obruitur, dum pulſatis virtutibus, conſcientia turbatur. Intra hos autem quatuor domus angulos filii convivantur; quia intra arcana Mentis, quæ principaliter his quatuor Virtutibus ad ſummæ rectitudinis culmen erigitur, virtutes ceteræ quaſi quædam cordis ſoboles ſe invicem paſcunt.

CAPUT II.

De Virtutibus Cardinalibus.

ARTICULUS PRIMUS,

Quo Virtutum iſtarum Natura explicatur.

PRUDENTIA *eſt virtus, quæ ſecundum honeſti rationem, divinæque legis præſcriptum, quid expetendum, quidve fugiendum ſit, homini præſtituit.*

JUSTITIA *eſt virtus, cuique tribuens, quod ſuum eſt.*

FORTITUDO *eſt virtus, qua labores, mortiſque pericula propter Deum conſtanter ſuſcipiuntur, & perferuntur.*

TEMPERANTIA *eſt virtus, voluptatum carnis, quæ guſtu, tactuque percipiuntur, moderatrix.*

A *S. Auguſt.* definitionibus iſtæ non multum abludunt. Sic enim Virtutes illas definit Lib. *De Diverſis Quæſtionibus* 83 q. 31. 61. & Lib. 1. *De Libero Arbitrio*, c. 15.

PRUDENTIA *eſt appetendarum, & vitandarum rerum ſcientia.*

JUSTITIA *eſt virtus, qua ſua cuique tribuuntur.* Sive, *Eſt habitus animi communi utilitate conſervata, ſuam cuique tribuens dignitatem.*

FORTITUDO *eſt virtus, qua omnia incommoda, & damna rerum in noſtra poteſtate conſtitutarum contemnimus.* Sive, *Firmitas animi adverſus ea, quæ temporaliter moleſta ſunt.*

TEMPERANTIA *eſt virtus coercens, & cohibens appetitum ab iis rebus, quæ turpiter appetuntur.* Sive, *Refrænatio cupiditatis ab iis, quæ temporaliter delectant.*

Virtutes Cardinales varii ſunt divini amoris affectus.

Quatuor illas principales Virtutes abſque Dei Amore nullas eſſe, immo nihil aliud videri quam varios Divini Amoris affectus, *S. Aug.* docet, Lib. *De Moribus Eccleſiæ Catolicæ*, c. 15. *Si virtus*, inquit, *ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino eſſe virtutem affirmaverim; niſi ſummum Amorem Dei. Namque illud quod quadripartita dicitur Virtus, ex ipſius Amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor Virtutes, quarum utinam ita ſit in mentibus vis, ut nomina in ore ſint omnium, ſic etiam definire non dubitem, ut* Temperantia *ſit Amor integrum ſe præbens ei, quod amatur:* Fortitudo, *Amor facile tolerans omnia, propter quod amatur:* Juſtitia, *Amor ſoli amato ſerviens, & propterea recte dominans;* Prudentia, *Amor ea, quibus adjuvatur, ab eis quibus impeditur, ſagaciter ſeligens. Sed hunc Amorem non cujuslibet, ſed Dei eſſe diximus, ideſt, ſummi boni, ſummæ ſapientiæ, ſummæque concordiæ. Quare definire etiam ſic licet, ut Temperantiam dicamus eſſe Amorem Deo ſeſe integrum, incorruptumque ſervantem; Fortitudinem, Amorem omnia propter Deum facile perferentem; Juſtitiam, Amorem Deo tantum ſervientem, & ob hoc bene imperantem ceteris, quæ homini ſubjecta ſunt: Prudentiam, Amorem bene diſcernentem ea, quibus adjuvetur in Deum, ab iis, quibus impediri poteſt.*

Vetere Patriarchæ virtutibus Cardinalibus eximie præfulſerunt.

His Virtutibus veteres Patriarchas eximie præfulſiſſe, *S. Ambr.* oſtendit Lib. 1. *De Officiis Miniſtrorum*, c. 24. & 25. *Quod* (inquit) *his Viris principalium Virtutum officium defuit? Quarum primo loco conſtituerunt Prudentiam, quæ in veri inveſtigatione verſatur, & ſcientiæ plenioris infundit cupiditatem: ſecundo Juſtitiam, quæ ſuum cuique tribuit, alienum non vindicat, utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem cuſtodiat; tertio Fortitudinem, quæ & in rebus bellicis excelſi animi magnitudine, & domi eminet, corporiſque præſtat viribus; quarto Temperantiam, quæ modum, ordinemque ſervat omnium, quæ vel agenda, vel dicenda arbitramur . . . Fuit igitur in Sancto Abraham primo loco prudentia, de quo dicit Scriptura:* Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. *Nemo enim prudens, qui Deum neſcit... Vide, quam juſtus Abraham. In ſenectute ſua ſuſceperat filium per repromiſſionem, repoſcenti Domino negandum ad ſacrificium, quamvis unicum, non putavit. Adverte hic omnes Virtutes quatuor in uno facto. Fuit ſapientiæ, Deo credere, nec filii gratiam anteferre Auctoris præcepto; fuit juſtitiæ, acceptum reddere; fuit fortitudinis, appetitum ratione cohibere. Ducebat hoſtiam pater, interrogabat filius, tentabatur affectus paternus, ſed non vincebatur. Repetebat filius appellationem paternam, compungebat paterna viſcera, ſed non minuebat devotionem. Accedit quarta virtus, temperantia. Tenebat Juſtus & pietatis modum, & executionis ordinem. Denique dum ſacrificio neceſſaria vehit, dum ignem adolet, dum filium ligat, dum gladium educit, hoc immolandi ordine meruit, ut filium reſervaret. Quid ſapientius S. Jacob, qui Deum vidit facie ad faciem, & meruit benedictionem? Quid juſtius, qui ea, quæ acquiſierat, oblatis muneribus cum fratre diviſit? Quid fortius, qui cum Deo luctatus eſt? Quid modeſtius eo, qui modeſtiam ita & locis, & temporibus deferebat, ut filiæ injuriam mallet prætexere conjugio, quam vindicare; eo quod inter alienos poſitus amori potius conſulendum, quam odia colligenda cenſebat? Non quam ſapiens, qui tantam fabricavit Arcam; Quam juſtus, qui ad ſemen omnium reſervatus, ſolus ex omnibus & præteritæ generationis ſuperſtes eſt factus, & auctor futuræ, Mundo potius, & univerſis, magis quam ſibi natus? Quam fortis, ut diluvium vinceret? Quam temperans, ut diluvium toleraret?*

Gen. 15. Nemo prudens, qui Deum neſcit.

Comparatio quatuor virtutum Cardinalium cum quatuor beatitudinibus a S. Luca recenſitis.

Idem *Lib. 5. in Lucam*, quatuor Beatitudines a Sancto illo Evangeliſta commemoratas cum quatuor Virtutibus Cardinalibus comparat. Beati pauperes ſpiritu. *Habes*, inquit, *Temperantiam, quæ a peccato abſtinet, ſæculum calcat, illecebroſa non quærit.* Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt: *Qui enim eſurit, eſurienti compatitur, compatiendo largitur, largiendo fit juſtus, quia* Juſtitia ejus manet in æternum. Unde in Matthæo: *Sitim, & famem intelligimus ſpiritalem, quæ cibus Juſtitiæ deſideratur, aut potus; quia virtus quaſi materia quædam virtutum eſt, ut Juſtus æqualem ſe inferioribus præſtet, dolum excludat, veritatem requirat.* Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis. *Habes Prudentiam, cujus eſt flere occidua, & ea, quæ æterna ſunt, quærere; lugere ſæcularia: quæ ſeipſa compugnent. Deum pacis inquirere, qui ſtulta Mundi eligit, ut confundat ſapientes; & qui ea, quæ non ſunt deſtruat, ut quæ ſunt poſſit adipiſci.* Beati eritis, cum vos oderint homines. *Habes fortitudinem, ſed eam, quæ non odium mereatur ex crimine, ſed perſecutionem patiatur ex fide: ſic enim ad paſſionis pervenitur coronam, ſi gratiam hominum negligas, divinam ſequaris. Denique, ut ſcias conſummationem eſſe fortitudinis paſſionem:* Secundum hæc (inquit) faciebant Prophetis patres eorum, *quia Prophetas Judæi uſque ad mortem corporis perſecuti ſunt. Eſt etiam fortitudinis iram vincere, indignationemque cohibere: ac per hoc fortitudo animum corpuſque confirmat, nec perturbari ſinit timore aliquo, vel dolore: quibus velut pravis interpretibus plerumque percellimur. Ergo Temperantia cordis habet, animique munditiam, Juſtitia miſericordiam, pacem Prudentia, manſuetudinem Fortitudo.*

Pſ. 111. 9.

Chriſtus quatuor virtutum Cardinalium auctor, & exemplar.

Quatuor illas Virtutes a Chriſto, ut a cauſſa effectrice pariter, & exemplari in Chriſtianorum Animos derivari oſtendit *S. Bern.* Serm. 22. in Cant. *Fruſtra* (inquit) *hujus Sæculi Sapientes de quatuor virtutibus tam multa diſputaverunt, quas tamen apprehendere omnino nequiverunt, cum illum neſcierint, qui factus eſt nobis a Deo Sapientia; docens prudentiam, & Juſtitia, delicta donans, & Sanctificatio, in exemplum Temperantiæ continenter vivens, & Redemptio, in exemplum Patientiæ fortiter moriens.... Quid vobis cum Virtutibus, qui Dei Virtutem Chriſtum ignoratis? Ubinam, quæſo, vera Prudentia niſi in Chriſti doctrina? Unde vera Juſtitia, niſi de Chriſti miſericordia? Ubi vera Temperantia, niſi in Chriſti vita? Ubi vera Fortitudo, niſi in Chriſti Paſſione? Soli ergo, qui ejus doctrina imbuti ſunt, prudentes dicendi ſunt; ſoli juſti, qui de ejus miſericordia veniam peccatorum conſecuti ſunt, ſoli temperantes, qui ejus vitam imitari ſtudent: ſoli fortes, qui ejus patientiæ documenta fortiter in adverſis tenent. Incaſſum proinde quis laborat in acquiſitione Virtutum, ſi aliunde eas ſperandas putat, quam a Domino Virtutum; cujus Doctrina ſeminarium Prudentiæ: cujus Miſericordia opus Juſtitiæ: cujus Vita ſpeculum Temperantiæ; cujus Mors inſigne eſt Fortitudinis.*

Virtutum Cardinalium neceſſitas.

Hæ quatuor Virtutes, quam neceſſariæ ſint homini Chriſtiano, docet idem Doctor Mellifluus, in Tractatu *De Converſione ad Clericos*, cap. 10. *Opus eſt* (inquit) *Fortitudine adverſus tentamenta peccati, ut rugienti leoni reſiſtamus fortes in fide, & ignita ipſius jacula hoc ipſo clypeo viriliter repellamus. Opus eſt juſtitia, ut operemur bonum. Opus Prudentia, ne cum fatuis Virginibus reprobemur. Opus denique Temperantia, ne voluptatibus indulgentes, audiamus aliquando, quod Miſer ille epularum pariter, & veſtium ſplendore finito, dum miſericordiam precaretur, audivit:* Memento, *fili, quod recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris.*

Luc. 16. 25.

Quatuor modis itur in conſilium impiorum.

Et Serm. 72. *De Diverſis*, alias 35. ex *Parvis*, explicans Verſum illum Pſ. 1. *Beatus vir, qui non abiit in conſilium impiorum*; ait ad hoc conſilium quatuor modis tendi. *Quidam enim trahuntur inviti, alii attrahuntur illecti, alii ſeducuntur ignari, alii ſequuntur ſpontanei. Iſtis neceſſariæ ſunt quatuor virtutes, per quas armati reſiſtant, ne in conſilio eant. Invitis neceſſaria eſt Fortitudo, qua reſiſtant uſque ad mortem minis, cruciatibus, & damnis. Illi, qui attrahuntur illecti, indigent Temperantia, quæ reprimit illicita deſideria, nec cedit promiſſionibus, nec emollitur blanditiis. Illis, qui ſeducuntur ignari, eſt opus Prudentia, quæ ab utilibus inutilia diſcernit, & docet quid tenendum, quidve rejiciendum ſit. Juſtitia indigent illi, qui ſequuntur ſpontanei. Juſtitia eſt rectitudo voluntatis, quæ nec amat peccare, nec peccato conſentit.*

Virtutes Cardinales connexæ.

Denique has virtutes eſſe connexas, & in meditullio quodam ſeu medio convenire, quod ita cunctis conterminum eſt, ut proprium videatur ſingularum, docet Lib. 1. *De Conſideratione*, c. 8. *Fortitudinis matrem eſſe Prudentiam, nec fortitudinem, ſed temeritatem eſſe quemlibet auſum, quem non parturivit prudentia. Hæc item eſt quæ inter voluptates, & neceſſitates media quaſi quædam arbitra ſedens, utrinque certis limitibus diſterminat fines, iſtis aſſignans, & præbens quod ſat eſt: illis quod nimis eſt, demens, & ſic ex alterutro tertiam formans virtutem, quam dicunt Temperantiam. Nempe intemperantem ipſa conſideratio cenſet tam eum, qui neceſſariis pertinaciter demit, quam, qui indulget ſuperfluis.* Sed nec Juſtitia ſolitaria eſt. *Nam cum Juſtitiæ dicatur portio, quod ſibi non vult fieri quis, alii non facere: porro perfectio, quod ait Dominus,* "Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, „ & vos facite illis; *neutrum horum erit, niſi ipſa voluntas ſic ordinata fuerit, ut nec velit aliquid ſuperfluum, nec neceſſarium quid ſuperſtitioſe nolit, quod quidem Temperantiæ eſt. Denique & ipſi Juſtitiæ, ut juſta ſit, Temperantia modum imponit.* Noli nimium eſſe juſtus, *ait Sapiens, oſtendens per hoc minime approbandam juſtitiam, quæ temperantiæ moderamine non frænetur. Quid quod, & ipſa Sapientia hoc Temperantiæ frænum non reſpuit, dicente Paulo,* "Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem? *Sed & e converſo, quod Temperantia neceſſaria Juſtitiæ ſit, oſtendit Dominus arguens in Evangelio illorum temperantiam, qui abſtinebant, ut viderentur hominibus jejunantes. Erat in cibo temperantia, ſed non juſtitia in animo, quia non Deo placere, ſed hominibus intendebant. Quomodo rurſum vel iſta, vel illa ſine Fortitudine, cum conſtet fortitudinis eſſe non mediocris, cohibere velle, & nolle ſuum inter anguſtias, parum, & nimis; ut ſit contenta voluntas modo illo medio, nudo, puro, ſolo, conſtante ſibi, æquali undique ſui, utpote ex omni parte pariter circumciſo, quem ſolum conſtat eſſe virtutis. Dicito mihi, quæſo, ſi potes, cuinam potiſſimum trium harum Virtutum meditullium hoc dandum cenſeas, quod ita cunctis conterminum eſt, ut videatur proprium ſingularum? An ipſum virtus eſt, & nihil aliud? Sed ſic virtus non eſſet multiplex, ſed eſſent omnes una. An potius, quia ſine eo virtus non eſt, omnium quodammodo intima vis una eſt, & medulla virtutum, in qua ſic uniuntur, ut proinde una videantur omnes, præſertim, quod non illud participando communicant, ſed totum a ſingulis, atque integrum poſſidetur? Verbi cauſſa; Quid tam juſtitiæ quam modus? Alioquin ſi quid extra modum relinquit: non plane cuique tribuit, quod ſuum eſt. Quid tam rurſum temperantiæ, quæ non aliunde profecto temperantia eſt, niſi quod nil immoderatum admittit? Sed puto, fatebere etiam non minus eſſe fortitudinis, cum vel maxime ipſa ſit, quæ vel ab irruentibus vitiis, & quaſi hinc inde ſuffocare conantibus, purum illud potenter eruit, & vindicat in quoddam ſtabile fundamentum boni, ſedemque virtutis. Ergo modum tenere, juſtitia eſt, temperantia eſt, fortitudo eſt. Sed vide, ne in hoc differant, ut juſtitia quidem in affectu res ſit, a fortitudine autem efficacia ejus: porro poſſeſſio ejus, atque uſus apud temperantiam.* Ab hac tandem communione Prudentiam non excludi oſtendit. *Nam ipſa eſt, quæ modum diu animi neglectu poſthabitum, & vitiorum invidia quaſi in abditis recluſum, & coopertum quadam vetuſtatis caligine prior reperit, & advertit. Itaque Juſtitia quærit, Prudentia invenit, vindicat Fortitudo; Temperantia poſſidet.*

Eccl. 12.

Rom. 12.

Virtutes in juſtis omnibus non ſunt æquales.

Sed & *S. Hieronymus* Epiſt. 122. ad *Fabiolam*, Manſionem 38. explicans, & in c. 16. *Iſaiæ*, Virtutes omnes ſibi hærere aſſerit, & inter ſe ita connexas, ut qui una caruerit, omnibus careat. Neque vero huic doctrinæ repugnat, quod Lib. 1. *Contra Pelagianos*, cap. 7. ait: *Nullus Sanctorum, quandiu in iſto corpuſculo eſt, cunctas poteſt habere virtutes.* Id unum enim ſignificat, non eſſe æquales in omnibus, ſed alios aliis virtutibus excellere, quamvis omnes habeat, qui unam habet. Significat, neminem hominem, quantumvis ſit juſtus, perfectum eſſe, quandiu hic mortalem vitam agit. In eo verſatur, ut probet, *Non ſolum ad comparationem Divinæ Majeſtatis homines nequaquam eſſe perfectos, ſed ne Angelorum quidem, & ceterorum hominum, qui virtutum culmina conſcenderunt: cum & tu, qui melior es alterius collatione, quem imperfectum eſſe monſtraveris, rurſum ab alio te præeunte vincaris; ac per hoc non habeas veram perfectionem, quæ ſi perfecta ſit, nulla re indiget.* Et paullo poſt: *Quamdiu habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, & fragili carne circundamur, immo mortali, & corruptibili, beatos eſſe nos credimus, ſi in ſingulis Virtutibus, partibuſque virtutum Deo ſubjecti ſumus: cum autem mortale hoc indutum fuerit immortalitate, & corruptivum hoc incorruptione veſtitum, & abſorpta mors fuerit in Chriſti victoria, tunc erit Deus omnia in omnibus; ut non ſit tantum in Salomone Sapientia, in David animi manſuetudo, in Elia, & Phinees zelus, in Abraham fides, in Petro perfecta dilectio, in electionis Vaſe ſtudium prædicandi, & in ceteris bina, vel trina, ſed totus in cunctis ſit, & omni virtutum choro Sanctorum numerus glorietur, & ſit Deus omnia in omnibus.* Objicit Critobulus Interlocutorum alter: *Nullus ergo Sanctorum quandiu in iſto corpuſculo eſt, cunctas poteſt habere virtutes?* Reſpondit Atticus: *Nullus: Quia nunc ex parte prophetamus, & ex parte cognoſcimus.* Critob. *Et quomodo legimus: Qui unam habuerit, omnes videtur habere virtutes?* Atticus: *Participatione, non proprietate: neceſſe eſt enim, ut ſinguli excellant in quibuſdam. Et tamen hoc, quod legiſſe te dicis, ubi ſcriptum ſit, neſcio.* Critob. *Ignoras hanc Philoſophorum eſſe ſententiam?* Atticus: *Sed non Apoſtolorum. Neque enim mihi cura eſt quid Ariſtoteles, ſed quid Paulus doceat.* Critob. *Obſecro te, nonne Jacobus Apoſtolus ſcribit, Qui in uno offendit, eum eſſe omnium reum?* Atticus: *Ipſe locus interpretatur. Non enim dixit, unde cœperat diſputatio; Qui divitem pauperi in honore prætulerit, reus eſt adulterii, vel homicidii: in hoc enim delirant Stoici, paria contendentes eſſe peccata; ſed ita; Qui dixit, Non mœchaberis, dixit, Et non occides: quod etſi non occidis, mœcharis tamen, factus es tranſgreſſor Legis. Levia cum levibus, & gravia cum gravibus comparantur, nec ferula dignum vitium gladio vindicandum eſt: nec gladio dignum ſcelus ferula coercendum.* Tum paullo poſt Atticus: *Quis non vult facere, quod perfectum eſt? aut quis non cunctis cupiat florere Virtutibus? Si totum requiris ab omnibus, tollis rerum diverſitatem, & gratiarum diſtantiam, & Creatoris artificis varietatem, cujus ſacro Propheta ſonat carmine:* Omnia in ſapientia feciſti. *Indignetur lucifer, quare fulgorem luna non habeat. Luna ſuper ſuis defectibus, & labore cauſsetur, cur annuum Solis circulum ſingulis menſibus expleat. Sed quæratur quid offenderit, ut Luna curſu tardior ſit. Clamemus & nos homunculi, quid cauſſa extiterit, ut homines, & non Angeli facti ſimus... Veſtrum Decretum huc uſque perveniet, ut dum ſingula calumniantur, manum injiciant Deo, cur ſolus Deus ſit, cur inviderit creaturis, ut non omnes eadem polleant majeſtate. Quod licet non dicatis (neque enim tam inſani eſtis, ut aperte pugnetis Deo) tamen aliis verbis loquimini, rem Dei homini copulantes, ut ſit abſque peccato, quod & Deus eſt. Unde Apoſtolus ſuper diverſis intonans gratiis loquitur: Diviſiones donationum ſunt, idem autem Spiritus: & diviſiones miniſteriorum ſunt, idem autem Dominus: & diviſiones operationum ſunt, unus autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.*

1. Cor. 13.

Jacobi 2.

Pſal. 103.

1. Cor. 12.

Eodem ſenſu intelligendum eſt, quod ait in cap. 1. Ep. ad Epheſios. *Nunc* (inquit) *Deus per partes in ſingulis eſt: in alio juſtitia, in alio caſtitas, in alio ſapientia, in alio fortitudo: & difficile eſt etiam in ſanctis viris, atque perfectis omnes pariter eſſe Virtutes. Cum autem in fine rerum, & conſummatione Mundi ei fuerint univerſa ſubjecta, adimplebit omnia in omnibus: ut juxta id, quod Deus eſt cunctis virtutibus plenus, omnia in omnibus adimpleantur, & ſint univerſi habentes omnia, quæ ante ſinguli ſingula poſſidebant.* Quamvis itaque connexæ ſint inter ſe virtutes, & qui unam habet, ceteris ſit ornatus: non ſunt in Juſtis ipſis æquales, & modis omnibus perfectæ; ſed perfectus erit illarum ſtatus in cœleſti beatitudine, cum Deus erit omnia in omnibus.

ARTICULUS II.

De Prudentia, ejuſque Partibus, & Officiis.

§. I. *Partes ſubjectæ, ſive ſpecies Prudentiæ.*

I. *PRimus Officii fons Prudentia eſt;* (inquit *S. Amb.* Lib. 1. *De Officiis*, c. 27.) Alia *Politica eſt*, alia *Oeconomica*, alia *Monaſtica*. Prima in bonum Reipublicæ, ſecunda in bonum familiæ, tertia in bonum privatum intendit. Prima vel *Regnatrix* eſt in Rege, de qua *Jer.* 23. dicitur: *Regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet judicium, & juſtitiam in terra.* Et Sap. 6. *Rex ſapiens ſtabilimentum populi eſt.* Vel *Militaris* in belli Ducibus, quæ hoſtium repellendis inſultibus invigilat; de qua Prov. 24. dicitur: *Cum diſpoſitione initur bellum, & erit ſalus, ubi ſunt multa conſilia.* Et Sap. 6. *Melior eſt ſapientia, quam vires, & vir prudens quam fortis.* Vel *Obſequens* in ſubditis, in iis, quæ bonum commune ſpectant. Homines enim ſervi, vel quicumque ſubditi ita aguntur ab aliis per præceptum, ut tamen ſeipſos agant per liberum arbitrium: & ideo requiritur in eis rectitudo quædam regiminis, qua ſeipſos dirigant obediendo Principibus, & iis, qui Rempublicam moderantur; quod pertinet ad Prudentiam Politicam. Hæ Partes ſunt ſubjectæ Prudentiæ, ſive illius ſpecies.

S. Th. 2. 2. q. 50.

§. II. *Prudentiæ Officia.*

II. OFficia Prudentiæ, ſive actus illius, ſunt 1. Rectum conſilium de rebus agendis inire, quærere, accipere, vel dare. 2. De iiſdem recte judicare, ſive ſecundum Regulas communes, ſive ſecundum altiora principia, ubi illas deficere contingit. 3. Recte præcipere. Et hic quidem poſtremus actus Prudentiæ Moralium Virtutum Reginæ proprius eſt; alii vero ad virtutes Prudentiæ annexas, & affines ſpectant. Optimi conſilii in omnibus operibus noſtris, maximeque in rebus ad Animæ ſalutem pertinentibus neceſſitatem docet Spiritus Sanctus Proverb. 12. *Via ſtulti in* ocu-

S. Th 2. 2. q. 47. art. 8. & q. 51.

oculis ejus; qui autem ſapiens eſt, audit conſilia. Et c. 13. *Inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt: qui autem agunt omnia cum conſilio, reguntur ſapientia.* Eccl. 32. *Fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis.* Et c. 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile.* Hac Virtute inſtructus *Jethro* ſocer *Moyſi*, optimum illi conſilium dedit de Populi Iſraelitici gubernatione, (*Ex.* 18. 17.) Hac inſtructus *Nathan* Propheta ſalutare conſilium dedit *Bethſabee* Matri Salomonis, ut Regnum filio a Davide impetraret. (3. *Reg.* 1. 12.) Hac Virtute Moyſes, Salomon, Daniel, Joſeph excelluerunt; ut oſtendit *S. Ambr.* Lib. 2. *De Officiis*, c. 10. & 11. Rectum de agendis judicium ad bonum illum ſenſum pertinet, qui veræ ſapientiæ comes eſt, & a Deo datur hominibus, de quo *Sap.*
Rectum de rebus agendis judicium 7. dicitur: *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi, & venit in me ſpiritus Sapientiæ.* Eccleſ. 14. *Beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & qui in juſtitia ſua meditabitur & in ſenſus cogitabit circumſpectionem Dei.* Hinc homo ſenſatus in Scripturis, qui vere prudens eſt, appellatur. Eccl. 33. *Sapiens non odit mandata, & juſtitias, & non illidetur quaſi in procella navis. Homo ſenſatus credit Legi Dei, & Lex illi fidelis.* Recti judicii eſt, e duobus malis minus eligere, quod de malis culpæ non eſt intelligendum: peccata enim omnia fugienda ſunt, cum illa Deus prohibeat, nullum eligendum eſt, ſed de malis pœnæ. Sic Davidi, cum numerato populo peccaſſet, obtulit Dominus optionem triplicis pœnæ, nempe, vel ſeptennis famis in toto Regno, vel belli, quo fugeret tribus menſibus coram hoſtibus ſuis,
2. Reg. 24. 14. vel triduanæ peſtis. *Dixit autem David ad Gad: Coarctor nimis, ſed melius eſt, ut incidam in manus Domini; (multæ enim miſericordiæ ejus ſunt) quam in manus hominum. Immiſitque Dominus peſtilentiam in Iſrael.* Recte præcipitur, quod Legi Divinæ, aut Eccleſiæ, Principumque Legibus ſecundum Deum latis non repugnat, & ad finem conſequendum conducibile eſt, maxime vero ad finem vitæ æternæ, propter quam Principes, & Superiores quique præcipere, & ſubditi parere debent.

A quibus quærendum conſilium. III. Illis ſolum conſiliis confidendum eſt, quæ juſtitia, & prudentia nituntur. *Quis enim ei ſe committat, quem non putet plus ſapere, quam ipſe ſapiat, qui quærit conſilium? Neceſſe eſt igitur, ut præſtantior ſit, a quo conſilium petitur, quam ille eſt, qui petit. Quid enim conſulas hominem, quem non arbitreris poſſe melius aliquid reperire, quam ipſe intelligit? Quod ſi eum inveneris, qui vivacitate ingenii, mentis vigore, atque auctoritate præſtet, & accedat eo, ut exemplo, & uſu paratior ſit, præſentia ſolvat pericula, proſpiciat futura, denuntiet imminentia, argumentum expediat, remedium ferat in tempore, paratus ſit non ſolum ad conſulendum, ſed etiam ad ſubveniendum; huic ita fides habetur, ut*
Eccl. 22. 31. *dicat, qui conſilium petit:* Etſi mala mihi evenerint per illum, ſuſtineo. *Hujuſmodi igitur viro ſalutem noſtram, & exiſtimationem committimus, qui ſit juſtus, & prudens. Facit enim juſtitia, ut nullus ſit fraudis metus: facit etiam prudentia, ut nulla ſit erroris ſuſpicio;* (inquit *S. Ambr.* Lib. 2. *De Officiis*, cap. 8.) Morum probitate, & integritate florere illum neceſſe eſt, a quo conſilium quæris. *Quomodo enim eum potes judicare conſilio ſuperiorem, quem videas inferiorem moribus? Supra me debet eſſe, cui me committere paro. An vero idoneum eum putabo, qui mihi det conſilium, quod non det ſibi, & mihi eum vacare credam, qui ſibi non vacet: cujus animum voluptates occupent, libido devincat, avaritia ſubjuget, cupiditas perturbet, quatiat metus? Quomodo hic conſilii locus, ubi nullus quieti?... Omnia ſperatur prudentia, cum omnibus bonis habet conſortium. Nam quomodo poteſt utile conſilium dare, niſi habeat juſtitiam, ut inducat conſtantiam, mortem non formidet, nullo terrore, nullo revocetur metu, nulla adulatione a vero deflectendum putet: exilium non refugiat, qui noverit Sapientis patriam Mundum eſſe: egeſtatem non timeat, qui nihil deeſſe Sapienti ſciat, cui totus Mundus divitiarum eſt? Quid enim præcelſius illo viro, qui auro moveri neſciat, contemptum habeat pecuniarum, & velut ex arce quadam deſpiciat hominum cupiditates?* Ab hujuſmodi viro conſilium quære, a viro (inquam prudente, probo, benevolo, facili. Si quis enim ſapiens eſt, difficilis tamen acceſſu, idem eſt, ac ſi aquæ fontem præcludat! (inquit *S. Ambroſius*, cap. 12. & 14. ejuſdem Libri.)

§. III. *Partes integrantes Prudentiæ.*

S. Aug. lib. q. 83. q. 1. S. Th. 2. 2. q. 9. & q. 7. a. 9. IV. PArtes velut integrantes Prudentiæ, ſine quibus videlicet perfectus illius Virtutis actus eſſe non poteſt, ſunt *Memoria*, *Intelligentia*, *Providentia*, *Solertia*, *Docilitas*, *Ratio*, *Circumſpectio*, *Cautio*, *Solicitudo*.

Memoria. *Memoria* eſt, qua repetit animus illa, quæ olim geſta ſunt, vel evenerunt. Non ſumitur hic pro naturali facultate, ſed pro ſtudioſa recordatione præteritorum eventuum, & negotiorum, quibus mediis acta ſint, quos exitus habuerint. Experimento ſcilicet plurimum juvatur Prudentia; & ex præteritis argumentum ſumit, quibus probetur in ſimilibus negotiis, rerumque circumſtantiis, quæ fauſtum exitum habuerunt, eodem modo agendum; vel alio modo in iis, quorum infauſtus fuit exitus ex hominum imprudentia, & mediorum congruorum defectu. Contingit enim interdum, ut res male cedant, quamvis optimo conſilio ſuſceptæ ſint; mediiſque convenientibus, & Prudentia ſingulari geſtæ, ex defectu cauſſarum, quæ non ſunt in noſtra poteſtate. & ita volente, ac decernente Deo. Unde ſcite ab antiquo Poeta dictum eſt

..... Careat ſucceſſibus opto,
Quiſquis ab eventu facta notanda putat.

Intelligentia eſt, qua homo ea perſpicit, quæ ſunt; ſive, Accurata, & ſolers conſideratio, qua intelligitur quid in unaquaque actione, atque adeo in totius vitæ ratione Deo acceptum, ac proinde honeſtum, ſeu decens, atque utile ſit, & e contrario quid Deo diſpliceat, ac proinde quid inhoneſtum, dedecens, ac damnoſum ſit. Hinc dicitur *Intellectus Prudentiæ*: (Eccl. 1.) & alibi, *Spiritus intelligentiæ*. De quo ſcriptum eſt Deut. 4. *Hæc eſt vera ſapientia, & intellectus coram Populis, ut audientes univerſa præcepta hæc, dicant: En Populus ſapiens, & intelligens, gens magna.* Intelligentia quoque perſpicit vir prudens, quæ ſint aliorum conſilia. Quamvis enim adeo profundæ ſint hominis cogitationes, ut nemo eas noverit niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt, eas tamen, quantum conjecturis poteſt, vir prudens rimatur, obſervat, expiſcatur, ſecundum illud Prov. 20. *Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri: ſed homo ſapiens exhauriet illud.* Intelligentia. Sap. 8. Eccl. 19.

Providentia eſt, qua futurum aliquid ante videtur, quam factum ſit; & idonea media ad finem conſequendum aſſumuntur. De qua Pſ. 32. ſcriptum eſt: *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia: utinam ſaperent, & intelligerent, & noviſſima providerent!* Et Eccl. 8. *Tempus, & reſponſionem cor Sapientis intelligit. Omni negotio tempus eſt, & opportunitas.* Hac inſtructus eſt, *Qui volens turrim ædificare, prius ſedens computat ſumptus, qui neceſſarii ſunt, ſi habeat ad perficiendum; ne poſteaquam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* Hac inſtructus eſt *Rex*, *qui iturus committere bellum adverſus alium Regem, ſedens prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe: alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea, quæ pacis ſunt.* Hac inſtructus erat vir Sapiens, *Qui ædificavit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram.* Hac deſtitutus erat vir ſtultus, *Qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam; & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna,* Providentia. Luc. 14. Matth. 7.

Solertia, facilis eſt, & prompta conjectio, qua dum aliquid ex improviſo occurrit, celeriter a viro perſpicaci, & prudente invenitur id, quod congruit, & expedit. Solertia.

Docilitas, qua quis paratum, & promptum ſe exhibet ad aliorum conſilia, & monita de rebus agendis ſuſcipienda. Quo ſpectat illud Prov. 3. *Ne innitaris Prudentiæ tuæ.* Et Eccl. 6. *In multitudine Presbyterorum prudentium ſta, & Sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei poſſis audire, & Proverbia laudis non effugiant a te. Et ſi videris ſenſatum, evigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus.* Quamvis autem in bona, & felici indole quædam ſit ad docilitatem propenſio: ad ejus tamen perfectionem (inquit *S. Th.*) plurimum valet humanum ſtudium, *Dum ſcilicet homo ſollicite, frequenter, & reverenter applicat animum ſuum documentis Majorum; non negligens ea propter ignaviam, nec contemnens propter ſuperbiam.* Quod quidem, cum ſine Divinæ Gratiæ munere, ut par eſt, fieri non poſſit, cor docile Dei donum eſt: unde Salomon ita Dominum precabatur: *Dabis ſervo tuo cor docile.* Docilitas. 3. Reg. 3.

Ratio, ſive recta ratiocinatio eſt, qua ex aliis prius cognitis colligitur, quid agendum ſit. Ad quam pertinet illud prov. 18. *Cor prudens poſſidebit ſcientiam.*

Circumſpectio, eſt accurata circumſtantiarum conſideratio, ut noſcatur quid bonum ſit, & conveniens, habita ratione negotiorum, perſonarum, loci, temporis, &c. quædam enim ſecundum ſe ſpectata bona ſunt, & convenientia, quæ tamen ex rerum circumſtantium concurſu, vel mala redduntur, vel certe fini nullatenus opportuna. Sic exhibere alicui ſigna amoris, ſecundum ſe ſpectatum, conveniens eſt, ut ejus animus ad mutuum amorem alliciatur; ſed ſi periculum probabile ſit, ne inde in illius animo ſuperbia, vel ſuſpicio adulationis oriatur, id non erit fini conveniens. Quamobrem neceſſaria eſt circumſpectio ad Prudentiam, ut ſcilicet media ad finis conſecutionem aſſumpta comparentur cum accidentibus rem circumſtantibus. Quo ſpectat illud Apoſtoli, ad Philip. 1. 9. 10. *Et hoc oro, ut caritas veſtra magis, ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu: ut probetis potiora.* Et Heb. 6. 14. *Perfectorum autem eſt ſolidus cibus; eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, ac mali.* Circumſpectio.

Cautio, eſt malorum, & impedimentorum extrinſecorum, quæ conſecutioni finis objiciuntur, & adverſantur, conſideratio, ut ea vitentur, vel removeantur. Cum enim bona plerumque impediantur a malis, & mala ſæpe boni ſpeciem habeant, neceſſaria Prudentiæ cautio eſt, ut non ſolum eligantur bona, ſed vitentur mala. Huc pertinet illud Cautio.

illud Sapientis Oraculum, *Eccleſiaſtici*, c. 3. *Sapiens cor, & intelligibile abſtinebit ſe a peccatis, & in operibus juſtitiæ ſucceſſus habebit.* Et illud Apoſtoli ad Epheſ. 4. *Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis: non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei.* Hinc *Julianus Pomerius*, Lib. 12. *De Vita Contemplativa*, cap. 29. ait: *Cognitio rerum, quæ de Prudentiæ fonte confertur, ſpirituales a carnalibus vitiis defæcatos illuſtrat, ut prudentes, ac ſapientes fiant, imminentia mala proſpiciant ſimul, & caveant: nec putent ulla eſſe mala, niſi quæ malos efficiant; inter fallacia, & ſolida bona diſcernunt*, &c. Non ſolum autem a vitiis, & ab occaſionibus peccati, ſed etiam ab hominibus, quorum probitas non eſt perſpecta, & explorata, cavere, Prudentiæ eſt: non temere cuivis credere, etiam propinquis, & popularibus, etiamſi bonis verbis blandiantur. Quocirca Jeremiæ 9. ſcriptum eſt: *Unuſquiſque ſe a proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam: quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.* Et cap. 12. 6. *Nam & fratres tui, & domus patris tui, etiam ipſi pugnaverunt adverſum te, & clamaverunt poſt te plena voce; ne credas eis, cum locuti fuerint tibi bona.* Michææ 7. *Nolite credere amico: & nolite confidere in duce: ab ea, quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui. Quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit adverſus matrem ſuam, nurus adverſus ſocrum ſuam: & inimici hominis domeſtici ejus.* Matth. 7. *Cavete ab hominibus; tradent enim vos in Conciliis ſuis, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos.* 1. Joannis 4. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.* Prudentis cautionis exemplum Chriſtus dedit. Cum enim eſſet Jeroſolymis in Paſchali feſto, *Multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna ejus, quæ faciebat. Ipſe autem Jeſus non credebat ſemetipſum eis, eo quod ipſe noſſet omnes.* Cautioni adjuncta diſſimulatio eſt, quæ ea ſolum ratione licita eſt, qua veri aliquid fit, nihil dicit falſi, conſilia ſua, & animi affectus abſcondit, ſalva Dei gloria, citra fraudem veritatis, caritatis, juſtitiæ. Neminem fallere licet, verum ſalvis Dei, Proximique Juribus, diſſimulare licet in rebus externis, politicis, & mediis, ſive indifferentibus, in quibus noſtrorum conſiliorum, affectuum, negotiorum manifeſtatio nobis, vel aliis noceret. Sic *Joſeph* diſſimulatione uſus eſt, alienum ſe fingens fratribus, verbiſque durioribus illos excipiens, ut fratrum animos, & paternæ familiæ ſtatum exploraret; (*Geneſ.* 42.) Sic *Moyſes* veniam petens a ſocero in Ægypto redeundi, vocationem divinam prudenter diſſimulavit, ne quod ſibi impedimentum a ſocero, familia que afferretur; (*Ex.* 4. 18.) Sic idem *Moyſes*, & *Aaron*, jubente Deo, poſtularunt a Pharaone, ut Populum Iſraeliticum ex Ægypto dimitteret, ſacrificia vero Numini in deſerto oblaturum: quæ quidem vera, ſed non una tamen cauſſa erat dimiſſionis Populi; ſed alias cauſſas, nempe duriſſimæ ſolutionem ſervitutis, & aditum Terræ Canaan prudenter apud Pharaonem diſſimularunt (*Exod.* 3.) Prophe-
1. Reg. 16. ta *Samuel* Dei Mandato Bethleem ad *Iſai* profectus, ut *Davidem* ejus filium Regem inungeret, præcipuam illam itineris ſui cauſſam diſſimulavit, unam tantum indicavit Senioribus civitatis, quid infauſti ex illius adventu metuentibus, dicens: *Ad immolandum Domino veni.* Quod etiam verum erat.

Prudens diſſimulatio cautioni adjuncta.

Sollicitudo *Sollicitudo*, eſt quædam ſolertis animi vigilantia, & celeritas ad ea, quæ agenda ſunt, proſequenda, ſive ad optimorum conſiliorum, ac præceptorum executionem urgendam, atque promovendam. Hinc *S. Petrus* Epiſtola 1. c. 4. *Eſtote* (inquit) *prudentes, & vigilate in orationibus.* Hinc *Sanctus Auguſtinus*, Lib. *De Moribus Eccleſiæ*, c. 24. de Prudentia loquens: *Hujus autem* (inquit) *ſunt excubiæ, & diligentiſſima vigilantia, ne ſubrepente mala ſuaſione fallamur: unde ſæpius Dominus*, Vigilate, *clamat, &* Ambulate, *inquit, dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant.*

§. IV. *In quibus vera Prudentia.*

In Juſtis omnibus eſt vera Prudentia, ſine qua ulla vera Virtus eſt. Quamvis enim omnes induſtriam illam non habeant, qua ſibi, & aliis providere poſſint de omnibus, quæ ad humanæ vitæ rationem pertinent: induſtria tamen illa donantur a Deo, quæ ſufficit ad res ſalutis æternæ: illoſque hoc ſenſu, *Unctio docet de omnibus.* Licet porro plerique homines juſti, piæque mulieres indigeant regi conſilio alieno,
1. Joan. 2. *Saltem in hoc ſibi ipſis conſulere ſciunt, ſi gratiam habent, ut aliorum requirant conſilia, & diſcernant conſilia bona a malis;* (inquit *S. Thomas*, ſecunda ſecundæ, quæſt. 47. ar. 14.) Ad omnes ergo Chriſtianos ſpectat cœleſte illud Chri-
Matth. 10. ſti Domini Mandatum: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Prudentia ſerpentis nobis præcipitur ad cavendum malum, ut quemadmodum ſerpens totum corpus pro ſervando capite objicit perſequenti; ſic to-
S. Hieron. in cap. 10. S. Matth. tius corporis periculo Caput noſtrum qui Chriſtus eſt, cuſtodiamus: Et ſicut ſerpens per anguſtias ſe coarctans, veteri pelle exutus innovatur; ſic *Intrare per anguſtam portam*, & *Veterem hominem exuere* teneamur. Columbarum autem ſimplicitatem commendat, ut nulli noceamus.

In peccatoribus non eſt vera, perfectaque Prudentia, quia ſibi ipſis non conſulunt in iis, quæ ſalutem, & felicitatem æternam ſpectant. *Prudentia non in foro, non in plateis, ſed in Eccleſia poſſidetur;* (inquit *S. Ambroſius*, Lib. *De Virginitate*, cap. 14. S. Aug. lib. qu. Evang. ex S. Matth. q. 8.

§. V. *Vitia Prudentiæ oppoſita.*

Vitia prudentiæ oppoſita ſunt *Imprudentia*, *Præcipitatio*, *Inconſideratio*, *Inconſtantia*, *Negligentia*, *Prudentia carnis*, *Aſtutia*, *Dolus*, *Fraus*, & *immodica de rebus temporalibus ſollicitudo.* Imprudentia.

Imprudentia, qua quis avertitur a Regulis Divinis eſt peccatum mortale, cum ſcilicet *Quaſi contemnens, & repudians divina documenta præcipitanter agit. Si vero præter eas agat abſque contemptu, & abſque detrimento eorum, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, eſt peccatum veniale;* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ quæſtion. 53. articulo 1.) Spiritalis gratiæ theſauros imprudentia diſſipari, & amitti Spiritus Sanctus docet, Prov. 21. 20. *Theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo Juſti: & imprudens homo diſſipabit illud.* S. Th. 2. 2. q. 53. 54. & 55.

Præcipitatio, imprudentiæ ſpecies eſt, conſilii ſcilicet perverſitas, qua homo ex impetu voluntatis, aut pravo animi affectu, prætermiſſis prudentiæ gradibus in ruinam labitur. Quo ſpectat illud Prov. 4. *Via impiorum tenebroſa, neſciunt ubi corruant.* Præcipitatio.

Inconſideratio ſub imprudentia pariter continetur. Judicii depravatio eſt, quatenus homo contemnit, vel negligit attendere ad ea, ex quibus rectum judicium procedit. Porro cum ad Prudentiam pertineat divinum illud Oraculum, Prov. 4. *Oculi tui videant recta, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos*: Inconſiderationem ipſi e regione adverſari, manifeſtum eſt. Inconſideratio.

Inconſtantia, qua bonum propoſitum abjicitur, imprudentiæ pariter ſpecies eſt, quatenus rectam præcipiendi rationem evertit. Hæc tria vitia ex luxuria oriuntur, & de illis ſuperius egimus, cum de luxuriæ propagine, ſeu filiabus tractaremus. Inconſtantia.

Negligentia, defectus eſt debitæ ſollicitudinis ad Prudentiam pertinentis. Peccatum eſſe minime dubium eſt, ſecundum illud Prov. 19. *Qui negligit vitam ſuam, mortificabitur*, ideſt, incurret mortem, ſive: *Peribit*, ut habet Verſio LXX. Interpretum. Et Eccl. 7. *De negligentia tua purga te cum paucis.* Ut autem innoteſcat quando veniale ſit, quando mortale peccatum, ad ejus radicem attendendum eſt. Oritur ſcilicet ex remiſſione quadam voluntatis, qua fit, ut ratio non ſit ſollicita de præcipiendis, quæ debet, vel quo modo debet. Dupliciter ergo contingere poteſt, ut negligentia ſit peccatum mortale. Primo ex parte ejus, quod ex negligentia prætermittitur, quod quidem ſit neceſſarium æternæ ſaluti, ſive ſit actus, ſive circumſtantia ſecundum illud Apoſtoli (*Heb.* 2.) *Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? Quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum ab iis, qui audierunt, in nos confirmata eſt.* Secundo contingit, ut negligentia mortale ſit peccatum ex parte cauſſæ. Si enim voluntas adeo ſit remiſſa circa res divinas, & Vitæ Chriſtianæ, ut penitus a caritate Dei deficiat, talis negligentia mortale peccatum eſt; quod præcipue contingit, cum negligentia ſequitur ex contemptu. Unde Deuter. 8. ſcriptum eſt: *Cave, ne quando obliviſcaris Domini Dei tui, & negligas mandata ejus.* Et Prov. 1. 25. *Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.* Hinc *S. Gregorius Magnus*, Lib. 7. Ep. 37. Indict. 2. *Sicut*, inquit, *cauta proviſio eſt culparum vias obſtruere, & novit quæ ſunt noxia declinare; ita neglectus patet exceſſibus, & quæ ſunt cavenda ſolet incurrere.* Si vero ex negligentia prætermittatur actio aliqua, vel circumſtantia, quæ non ſit neceſſaria ſaluti, neque id fiat ex contemptu, ſed ex aliquo defectu fervoris, tunc negligentia veniale peccatum eſt; (inquit *S. Thomas*, 2. 2. qu. 54. art. 3.) Negligentia. Negligentia, quando peccatum mortale.

Prudentia carnis, aſſumpta veræ prudentiæ ſpecie ipſi adverſatur. Lethale peccatum eſt, ſi finis ultimus in fruitione bonorum corporis ſtatuatur. Unde Apoſtolus (Rom. 8.) ait: *Prudentia carnis mors eſt ... Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo. Legi enim Dei non eſt ſubjecta, nec enim poteſt.* Alias prudentia carnis veniale peccatum eſt. Falſa illa prudentiæ ſpecies ſive ſimilitudo, dicitur etiam *Prudentia ſæculi*, de qua Chriſtus (Lucæ 16.) *Filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.* Prudentia carnis.

Aſtutia vitium eſt prudentiæ oppoſitum, quo non veris viis, ſed falſis, & ſimulatis (ut loquitur *S. Thomas*) ad finem, ſive bonum, ſive malum tenditur. De qua *S. Greg.* Lib. 10. *Moralium*, c. 16. *Sapientia* (inquit) *hujus Mundi eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare; quæ falſa ſunt, vera oſtendere; quæ vera ſunt, falſa demonſtrare. Hæc prudentia a juvenibus ſcitur, a pueris pretio diſcitur.* Hanc Apoſtolus diſſuadet (2. Cor. 4.) *Non ambulantes*, inquit, *in aſtutia.* Aſtutia.

Fraus, & *Dolus* Aſtutiæ conſilia exequuntur; dolus cum verbis, tum factis; fraus factis præſertim. De utroque illo Fraus, & dolus.

illo vitio ſuperius actum eſt, cum de filiabus Avaritiæ tractaretur, quia avaritiæ ſurculi ſunt.

Sollicitudo immoderata de temporalibus.

Immoderata de temporalibus rebus ſollicitudo vitium eſt prudentiæ oppoſitum, quo vel temporalia bona, ut finis quæruntur, vel ſuperflua ultra vitæ præſentis neceſſitatem; vel ſollicitudinis tempus præoccupatur, cum omni negotio tempus ſit, & opportunitas. Huic vitio medetur Chriſtus Matt. 6. *Ne ſolliciti ſitis*, inquit, *animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini . . . Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi. Sufficit diei malitia ſua.* Cum tamen videmus Dei ſervos providere, ne ipſis neceſſaria vitæ ſubſidia deſint, de craſtino ſollicitos ne ideo judicemus. Nam & ipſe Dominus loculos habuit, & in Actis Apoſtolorum ſcriptum eſt, ea, quæ ad victum eſſent neceſſaria, procurata eſſe in futurum propter imminentem famem, ab Apoſtolorum diſcipulis. Ex quibus Scripturæ locis evidens eſt, *Dominum noſtrum non hoc improbare, ſi quis humano more iſta procuret, ſed ſi quis propter iſta Deo militet, ut in operibus ſuis non Regnum Dei, ſed iſtorum acquiſitionem intueatur*; (inquit *S. Aug.* Lib. 2. *De Sermone Domini in Monte*, c. 18.)

Act. 11, 27.

ARTICULUS III.

De Juſtitia, ejuſque Partibus, & Officiis,

§. I. *Juſtitiæ, Juriſque partitio*.

Quid ſit Juſtitia.

I. JUſtitia, quæ vulgo definitur *Perpetua, & conſtans voluntas jus ſuum unicuique tribuendi*, Moralium Princeps Virtutum, ornat, dirigitque voluntatem, Unde *S. Anſelmus*, in Dialogo *De Veritate*, c. 13. *Juſtitia* (inquit) *eſt rectitudo voluntatis, propter ſe ſervata*. Circa alios proprie verſatur. *Juſtitia* (inquit *S. Ambroſius* Lib. 1. *De Officiis*, c. 28.) *ad ſocietatem generis humani, & ad communitatem refertur. Societatis enim ratio dividitur in duas partes, Juſtitiam, & Beneficentiam. Sed primum ipſum, quod putant Philoſophi juſtitiæ munus, apud nos excluditur. Dicunt enim illi, eam primam eſſe juſtitiæ formam, ut nemini quis noceat, niſi laceſſitus injuria: quod Evangelii auctoritate vacuatur; vult enim Scriptura, ut ſit nobis Spiritus Filii hominis, qui venit conferre gratiam, non inferre injuriam. Deinde formam juſtitiæ putaverunt, ut quis communia, ideſt, publica pro publicis habeat, privata pro ſuis. Ne hoc quidem ſecundum naturam; natura enim omnia omnibus in commune profudit. Natura igitur jus commune generavit, uſurpatio jus fecit privatum. Magnus* certe *juſtitiæ ſplendor, quæ aliis potius nata quam ſibi, communitatem, & ſocietatem noſtram adjuvat: excelſitatem tenet, ut ſuo judicio omnia ſubjecta habeat, opem aliis ferat, pecuniam conferat, officia non abnuat, pericula ſuſcipiat aliena.* Et cap. 24. *Juſtitia ſuum cuique tribuit, alienum non vindicat, utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem cuſtodiat.* Et Lib. 1. *De Exceſſu Satyri* Fratris ſui: *Juſtitia*, inquit, *ſibi parcior, foris tota eſt, & quicquid habet, quadam inclementia ſui, dum rapitur amore communi, transfundit in proximos.*

Juſtitia duplex.

II. Juſtitia duplex, *Univerſalis, & Particularis*. *Univerſalis Juſtitia* eſt conformatio vitæ noſtræ, omniumque noſtrarum actionum ad legem divinam; aliaſque omnes divinæ conſentientes leges. Idem eſt, quod ſanctimonia, & virtutes omnes complectitur. Ejus duo ſunt officia his verbis Pſ. 36. expreſſa: *Declina a malo, & fac bonum*. Ad illam pertinet quod 1. *Joannis* 3. legitur: *Qui facit juſtitiam, juſtus eſt, ſicut & ille* (Deus ſcilicet) *juſtus eſt*. Hoc ſenſu, qui Dei legem ſervant, *Juſti* in Scriptura Sacra vocantur. Illa etiam Juſtitia *legalis* dicitur, ob ſuam cum lege convenientiam, quatenus omnium virtutum actus, & officia dirigit ad bonum commune.

Juſtitia particularis virtus eſt jus ſuum unicuique tribuens, Virtus (inquam) a ceteris diſtincta, de qua Proverb. 16. dicitur: *Melius eſt parum cum juſtitia, quam multi fructus cum iniquitate. Abominabiles Regi, qui agunt impie: quoniam juſtitia firmatur ſolium.* Hujus officium juſtitiæ commendat nobis Apoſtolus (Roman. 13.) *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem . . . Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.*

Juris diviſio.

III. Juſtitiæ particularis objectum *Jus* eſt, ſive *Juſtum*. Jus aliud eſt *Naturale*, aliud *Poſitivum*. Jus naturale dicitur, quod ratio naturalis immediate dictat, vel ex ea ſequitur evidenter, naturæque, ſeu conditioni rerum conſentaneum eſt: verbi gratia, reddere quantum acceperis, fugere malum, facere bonum, alteri non facere, quod tibi fieri non vis, & quæcumque Decalogo continentur. Sive, ut definitur in Decretis P. 1. diſt. 1. Canone *Jus Naturale*, qui ex *S. Iſidoro* Lib. 5. *Originum*, cap. 4. ſumptus eſt: *Jus Naturale eſt commune omnium Nationum, eo quod ubique inſtinctu Naturæ, non Conſtitutione aliqua habetur, ut viri, & feminæ conjunctio, liberorum ſucceſſio, & educatio, communis omnium poſſeſſio, & omnium una libertas, acquiſitio eorum, quæ cælo, terra, marique capiuntur: item depoſitæ rei, vel commendatæ pecuniæ reſtitutio, violentiæ per vim repulſio. Nam hoc, aut ſi quid huic ſimile eſt, nunquam injuſtum, ſed naturale, æquumque habetur.* Jus Poſitivum dicitur, quod cum a natura præſcriptum non ſit, ab aliquo tamen auctoritatem habente poſitum, atque conſtitutum eſt.

Jus Poſitivum, aliud *divinum*, aliud *humanum*. Divinum, quod divina auctoritate ſancitum eſt, & Veteri, Novoque Teſtamento præſcriptum. Humanum, quod hominum auctoritate conditum eſt.

Can. Jus Gentium, diſt. 1.

Jus humanum dividitur in *Jus Gentium, Jus Canonicum, Jus Civile*. Jus Gentium eſt, quo omnes fere Gentes utuntur: nempe ſedium, ſeu locorum, quæ nullius ſunt, occupatio, ædificatio, munitio; rerum diviſio, & privata poſſeſſio; bella, captivitas, ſervitus, poſtliminia, fœdera, pax, induciæ, legatorum non violandorum religio, &c. *Jus Canonicum* vocatur, quod ab Eccleſiaſtica Poteſtate ſancitum, actiones Fidelium ad æternam Beatitudinem dirigit: Conciliorum Canonibus Spiritu Dei conditis, a Sede Apoſtolica approbatis, & totius Mundi reverentia conſecratis; Romanorum Pontificum receptis Conſtitutionibus, ac Decretis, & Moribus Eccleſiæ univerſæ, necnon privatarum Eccleſiarum conſtat. *Jus Civile* eſt, quod a ſæculari Poteſtate conſtitutum eſt ad rectam Reipublicæ adminiſtrationem, finemque publicæ tranquillitatis. Sive, *Jus Civile eſt, quod quiſque populus, vel quæque civitas ſibi proprium divina, humanaque cauſſa conſtituit*. Conſtat Legibus publicis, Conſtitutionibus, & Edictis Principum, necnon Conſuetudinibus Municipalibus.

Can. Jus Civile, diſt. 1.

Juſtitiæ officium.

IV. Juſtitiæ officium, & actus *Judicium* eſt, de quo ſcriptum eſt Deuter. 1. *Quod juſtum eſt judicate, ſive civis ſit ille, ſive peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum, ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt.* Ut juſtum ſit, ac legitimum judicium, tria requiruntur, ut ſcilicet ad juris, & æqui regulas, legumque præſcripta conformetur; ut legitima auctoritate; ut denique ſecundum rectam prudentiæ rationem feratur. Si contra jus, & æquum, ſive contra leges feratur, perverſum, atque injuſtum eſt; ſi ab eo, qui legitima ſit deſtitutus auctoritate, vel de his, ad quæ non porrigitur ejus auctoritas, uſurpatum eſt; ſi contra regulas prudentiæ, temerarium eſt.

S. Th. 2. 2. q. 60. a. 2.

Juſtitia diſtributiva & commutativa.

V. Juſtitiæ particularis duæ ſunt ſpecies, ſcilicet *Juſtitia diſtributiva, & Juſtitia commutativa*. Juſtitia diſtributiva eſt, quæ verſatur in diſtributione communium bonorum, Officiorum, honorum, præmiorum, pœnarum, & gratiarum, ut unicuique conſentanea pro conditione, ſtatu, meritis, & dignitate cujuſque præſtentur. Juſtitia commutativa eſt directrix commutationum, quæ fiunt inter duas perſonas, æqualitate rerum ſervata.

Commutationes voluntariæ.

VI. Commutationes quædam *Voluntariæ* ſunt, aliæ *Involuntariæ*. Voluntariæ ſunt, quibus aliquis rem ſuam libero contractu, ſeu conventione transfert ad alterum. Iſtius generis ſunt *Emptio, & Venditio; Cambium, Uſusfructus, Emphyteuſis, Mutuum, Commodatum, Locatio, Impignoratio, Fidejuſſio, Depoſitum.*

S. Th. 2. 2. q. 61. a. 3.

Emptio, & Venditio ſunt contractus, quibus res pro certo pretio permutantur. *Cambium* eſt unius rei pro altera commutatio, ut vini pro oleo, tritici pro panno, pecuniæ etiam pro pecunia alterius ſpeciei. *Uſusfructus* eſt rei fructiferæ gratuita conceſſio ad uſum ea lege, ut res ipſa tempore ſtatuto reddatur. *Emphyteuſis* eſt translatio uſusfructus in alterum ſub conditione penſionis annuæ, ſive in perpetuum, ſive ad tempus ſolvendæ. *Mutuum* eſt contractus, quo gratis conceditur uſus rei frugiferæ, quæ ipſo uſu conſumitur, cum obligatione reddendi æquivalens. *Commodatum* eſt, quo gratis conceditur uſus rei infrugiferæ, quæ ipſo uſu non conſumitur, cum obligatione reddendi rem ipſam individuam, quæ commodata eſt. *Locatio* eſt, qua quis rei ſuæ uſum concedit pacto pretio. Huic reſpondet *Conductio*, qua talis uſus recipitur. Mutuo dantur triticum, panis, vinum, oleum, pecunia, &c. aliaque hujuſmodi quæ uſu ipſo conſumuntur. Commodantur veſtes, ſupellex, vaſa, libri, &c. quæ non conſumuntur ipſo uſu. Locantur domus, agri, vineæ, equi, operæ, &c. *Impignoratio* eſt traditio rei cujuſpiam ad firmandam obligationem ſatisfaciendi. *Fidejuſſio*, qua aliquis ſe obligat ad ſatisfaciendum pro altero. *Depoſitum*, quo quis rem ſuam apud alterum deponit, ejuſque fidei commendat gratis cuſtodiendam, & conſervandam.

Commutationes involuntariæ ſunt, quibus res aliena, vel perſona uſurpantur invito domino. Hujus generis ſunt *Furtum, rapina, homicidium*, ſeu dolo, ſeu vi aperta commiſſum: *Incarceratio*, ſeu *violenta detentio perſonæ* contra jus, & privata auctoritate, *verberatio, mutilatio, falſum teſtimonium, calumnia, & obtrectatio alienæ famæ, falſa accuſatio, convitium, adulterium, ſervi ſeductio, indebitarum operarum exactio.*

§. II. *Vitia Juſtitiæ oppoſita*.

HIs, & ſimilibus modis committitur injuſtitia, quæ juſtitiæ capitaliter adverſatur, & quam nemo patitur niſi nolens in rebus, quarum ita dominus eſt, ut earum uſum alteri, ſalvis divinis, humaniſque legibus, permittere poſſit.

VII. Injuſtitia lethale ex genere ſuo peccatum eſt. *Omne enim nocumentum alteri illatum ex ſe caritati repugnat: & ideo*

ideo cum injuſtitia ſemper conſiſtat in nocumento alterius, manifeſtum eſt, quod facere injuſtum ex genere ſuo eſt peccatum mortale, inquit *S. Thomas* 2. 2. qu. 59. art. 4. Tunc ſolum veniale peccatum eſt, cum leve nocumentum infertur proximo.

VIII. Cum autem rei alienæ ablatione, uſurpatione, detentione, & quavis injuria alteri illata, ſive in perſona propria, ſive in perſonis, aut rebus ad illum pertinentibus, ſive in honore, & fama, ſive indebita operarum exactione, Juſtitia violetur, ad reſarciendam injuriam neceſſaria *Reſtitutio* eſt, quæ eſt actus Juſtitiæ commutativæ.

S. Th. 2. 2. q. 62. a. 1.

IX. Diſtributivæ Juſtitiæ opponitur *Acceptio perſonarum*. Hæc peccatum eſt, quo in his, quæ ſecundum juſtitiam diſtribuenda, ſive conferenda ſunt, non attenditur ad merita, vel capacitatem, vel jus perſonæ, ſed ad qualitates negotii, de quo agitur, extrinſecas: ut ſi in aliqua cauſſa Sententia feratur in illius gratiam, qui ditior eſt, aut potentior, aut ab amicis Judicis commendatur, non cujus cauſſa æquior eſt: & ſi in Beneficiorum collatione ratio habeatur conſanguinitatis, non capacitatis, & meritorum, ut uni potius, quam alteri conferantur: Et ſi in tribunali Pœnitentiæ Confeſſarius cum divitibus, nobilibus, & potentibus indulgentius agat habita ratione divitiarum, nobilitatis, vel potentiæ, aut ipſorum Confeſſiones prius, ac libentius audiat, quam plebejorum, & pauperum. Vitium illud Lege Dei prohibitum eſt Lev. 19. *Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis*. Deut. 1. *Nulla erit diſtantia perſonarum: Ita parvum audietis, ut magnum nec accipietis cujuſquam perſonam.* Jacobi 2. *Fratres mei, nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu. Etenim ſi introierit in conventum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida, introierit autem & pauper in ſordido habitu; & intendatis in eum, qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei: Tu ſede hic bene: pauperi autem dicatis, Tu ſta illic; aut ſede ſub ſcabello pedum meorum: nonne judicatis apud voſmetipſos, aut judices facti eſtis cogitationum iniquarum? Audite, Fratres mei dilectiſſimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes Regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe? Vos autem exhonoraſtis pauperem.* Et infra: *Si autem perſonas accipitis, peccatum operamini, redarguti a Lege quaſi tranſgreſſores.* De hoc argumento audiendus *S. Ambr.* Lib. 2. *De Officiis*, cap. 24. *Sed nec perſonam alterius* (inquit) *accipiamus in judicio. Gratia abſit cauſſæ, merita decernant. Nihil ſic opinionem, immo fidem gravat, quam ſi in judicando potentiori dones cauſſam inferioris, vel pauperem innocentem arguas, divitem excuſes reum culpæ.... Licet tibi ſilere in negotio dumtaxat pecuniario; quamquam ſit conſtantiæ adeſſe æquitati. In cauſſa autem Dei, ubi communionis periculum eſt, etiam diſſimulare peccatum eſt non leve.*

Acceptio perſonarum peccatum eſt juſtitiæ diſtributivæ oppoſitum. Qu. 63.

§. III. *Juſtitiæ partes integrantes*.

S. Th. 2. 2. quæſt. 79.

JUſtitiæ partes quaſi integrantes, & ad perfectum illius actum requiſitæ, ſunt, *Facere bonum, quatenus proximo debitum, & Vitare malum, quatenus proximo noxium*. His officiis ex adverſo reſpondent duæ peccati ſpecies, ſcilicet. 1. *Omiſſio*, quæ prætermiſſio eſt boni proximo debiti, & ſic opponitur juſtitiæ particulari; vel divina, aut humana lege præſcripti, & ſic opponitur juſtitiæ legali. 2. *Tranſgreſſio*, quæ limitum negantibus legis præceptis conſtitutorum tranſitio eſt. Peccatum igitur tranſgreſſionis opponitur præceptis negativis, quibus præſcribitur declinatio a malo: peccatum omiſsionis opponitur præceptis affirmativis, quibus præcipitur operatio boni. Gravius eſt ex ſe peccatum tranſgreſsionis, utpote, quod directe pugnat cum virtute, cujus negatio dumtaxat omiſsio eſt.

§. IV. *Virtutes cognatæ Juſtitiæ*.

Quæſt. 80.

VIrtutes finitimæ, cognatæque juſtitiæ ſunt, *Religio, Pietas, Obſervantia, Obedientia, Veritas, Gratiæ, Vindicatio, ſeu vindictæ juſta proſecutio, aut pœnæ inflictio, Liberalitas, Amicitia, ſive Affabilitas.*

Religio.

I. *Religio* eſt virtus, qua Deo debitum cultum, & reverentiam exhibemus.

Actus Religionis ſunt *Devotio, Oratio, Adoratio, Sacrificium, Oblationes* Primitiarum, Decimarum, aliarumve rerum Deo factæ, *Votum, Juramentum*. Religioni opponuntur *Superſtitio*, cujus variæ ſunt ſpecies, *Tentatio Dei, Perjurium, Sacrilegium, Simonia*. De his Lib. 4. hujus Operis agemus, explicando priora duo Precepta Decalogi. De Oratione vero Libro Poſtremo. De Simonia egimus L. 2. in Tractatu *De Sacramento Ordinis*.

Pietas.

II. *Pietas* eſt virtus cognata juſtitiæ, qua ſecundum Deum, parentibus, conſanguineis, patriæ, concivibus, & conterraneis debitus cultus, officiumque tribuitur. Parentes patriæ *S. Thomas*, patriam parentibus *S. Ambroſius* præponit Lib. 1. *De Officiis*, cap. 27. *Juſtitia pietas*, inquit, *eſt prima in Deum, ſecunda in patriam, tertia in parentes, item in omnes: quæ & ipſa ſecundum naturæ eſt magiſterium.*

Obſervantia.

III. *Obſervantia* eſt virtus affinis pietati, qua homines in Dignitate conſtitutos debito cultu, & honore proſequimur. Qui quidem honor non in ſolo interiori animi motu, ſed in ſignis etiam exterioribus conſiſtit, quibus excellentiæ hominum, qui dignitate nos antecedunt, ſingulare teſtimonium reddimus. Quamquam omnes homines mutuo ſe honore prævenire debeant, ſecundum Apoſtoli doctrinam. (Rom. 12.) *Honore invicem prævenientes*, quia in quolibet invenitur aliquid ex quo poteſt alter eum ſe ipſo ſuperiorem cenſere, ſecundum illud ejuſdem Apoſtoli (Philipp. 2.) *In humilitate ſuperiores invicem arbitrantes.*

Obedientia.

IV. *Obedientia* virtus eſt juſtitiæ cognata, qua Superiorum noſtrorum præceptis expreſſis, vel tacitis morem gerimus. *Voluntas enim Superioris, quocumque modo innoteſcat, eſt quoddam tacitum præceptum. Et tanto videtur obedientia promptior, quanto expreſſum præceptum obediendo prævenit, voluntate Superioris intellecta*; (inquit *S. Thomas*, 2. 2. qu. 104. art. 1.)

Obedientia virtutum moralium maxima.

Obedientia maxima eſt virtutum moralium, ut idem aſſerit Doctor Angelicus. Tanto enim potior virtus eſt, quanto propter Deum majus bonum contemnitur. Tria porro ſunt genera bonorum, quæ homo propter Deum contemnere poteſt; infima, ſcilicet exteriora bona, quæ fortunæ vulgo dicuntur; media, ſcilicet bona corporis; ſumma, ſcilicet bona animi, quorum præcipuum aliqua ratione eſt voluntas, qua ceteris homo utitur. Ideo laudabilior eſt obedientiæ virtus, quæ propriam voluntatem propter Deum contemnit, aliis virtutibus moralibus, quæ alia bona propter Deum contemnunt. Unde *Sanctus Gregorius*, Libro poſtremo *Moralium*, cap. 10. ait: *Obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur.* Quamobrem & alia quæcumque virtutum opera ex hoc meritoria ſunt apud Deum, quod fiunt, ut obediatur divinæ voluntati. Magis porro elucet obedientia, majoriſque ut plurimum eſt meriti in rebus aſperis, propriæque voluntati repugnantibus, quam in proſperis, & quæ conſentaneæ ſunt, & gratæ voluntati; quia nos in id, quod nobis præcipitur tunc tendere propter præceptum, non propter propriam voluntatem compertum eſt. Unde *Sanctus Gregorius* loco mox indicato: *Quia* (inquit) *nonnunquam nobis hujus Mundi proſpera, nonnunquam vero jubentur adverſa: ſciendum ſummopere eſt, quod obedientia aliquando ſi de ſuo aliquid habeat, nulla eſt: aliquando autem ſi de ſuo aliquid non habeat, minima. Nam cum hujus Mundi ſucceſſus præcipitur, cum locus ſuperior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ ſibi virtutem evacuat, ſi ad hæc etiam ex proprio deſiderio anhelat. Neque enim ſe ſub obedientia dirigit, qui ad accipienda hujus vitæ proſpera libidini propriæ ambitionis ſervit. Rurſum cum Mundi deſpectus præcipitur, cum probra adipiſci, & contumeliæ jubentur, niſi ex ſe ipſo animus hæc appetat, obedientiæ ſibi meritum minuit: quia ad ea, quæ in hac vita deſpecta ſunt, invitus, noleníque deſcendit. Ad detrimentum quippe obedientiæ ducitur, cum mentem ad ſuſcipienda probra hujus ſæculi nequaquam ex parte aliqua etiam ſua vota comitantur. Debet ergo obedientia, & in adverſis ex ſuo aliquid omnimodo non habere: quatenus & in adverſis tanto ſit glorioſior, quanto divino ordini etiam ex deſiderio jungitur; & in proſperis tanto ſit verior, quanto a præſenti ipſa, quam divinitus percipit, gloria funditus ex mente ſeparatur. Sed hoc virtutis pondus melius oſtendimus, ſi cœleſtis patriæ duorum hominum facta memoremus, Moyſes namque cum in deſerto oves paſceret, a Domino per Angelum in igne loquente vocatus eſt, ut eripiendæ omni Iſraelitarum multitudini præeſſet. Sed quia apud ſe mente humilis exſtitit, oblatam protinus tanti Regiminis gloriam expavit, moxque ad infirmitatis patrocinium recurrit, dicens:* „ Obſecro, Domine, non ſum eloquens: ab heri, & nudiuſtertius, ex quo cœpiſti loqui „ ad ſervum tuum, tardioris, & impeditioris linguæ ſum „ factus. *Et ſe poſtpoſito, alium depoſcit, dicens*: Mitte quem miſſurus es. *Ecce cum Auctore linguæ loquitur, & ne tanti Regiminis poteſtatem ſuſcipiat, elinguem ſe eſſe cauſſatur. Paulus quoque divinitus fuerat, ut in Jeruſalem debuiſſet aſcendere, admonitus. Iſque in itinere cum Prophetam Agabum reperiſſet, quanta ſe in Hieroſolymis adverſitas ma-* „ *neret, audivit. Scriptum quippe eſt, quod idem Agabus* „ *zonam Pauli ſuis pedibus inſerens, dixit*: Virum, cujus „ hæc zona eſt, ſic alligabunt in Jeruſalem. *A Paulo autem* „ *protinus reſpondetur*: Ego non ſolum alligari, ſed & mo- „ ri in Jeruſalem paratus ſum pro Nomine Jeſu; neque enim „ pretioſiorem facio animam meam, quam me. *Præceptione igitur revelationis Jeroſolymam pergens, adverſa cognoſcit, & tamen hæc libenter appetit: audit, quæ timeat, ſed ad hæc ardentius anhelat. Moyſes itaque ad proſpera de ſuo nihil habet; quia precibus renititur, ne Iſraelitica Plebi præferatur. Paulus ad adverſa etiam ex ſuo voto ducitur; quia malorum imminentium cognitionem percipit, ſed devotione ſpiritus etiam ad acriora ferveſcit. Ille præſentis Poteſtatis gloriam Deo voluit jubente declinare: Iſte Deo aſpera, & dura diſponente, ſe ſtuduit ad graviora præparare. Præeunte ergo utrorumque Ducum infracta virtute inſtituimur, ut ſi obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, proſperis hujus ſæculi ex ſola juſſione, adverſis autem etiam ex devotione militemus.* De Virtute obedientiæ, & illius

Obedientia majoris eſt meriti in rebus aſperis, quam in proſperis.

Galat. 2.

Act. 2.

Act. 5.

Gradibus, legatur S. *Bernardus*, Sermone 41. *De Diverſis*, ubi oſtendit, obediendum eſſe libenter, ſimpliciter, hilariter, viriliter, humiliter, indeſinenter. De inobedientia, quod peccatum eſt obedientiæ virtuti oppoſitum, egimus in ſuperiori Tractatu, cum de vanæ gloriæ filiabus ſermo eſſet. Soli Deo in omnibus obedire tenemur, qui nihil contra virtutem præcipere poteſt: hominibus vero, qui nobis præſunt, in his duntaxat, in quibus ipſis ſubditi ſumus, & quæ Divinæ Legi, aut majoris Poteſtatis legibus, ac præceptis non repugnant. Nam *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*.

Veritas ſeu Veracitas.

V. *Veritas*, ſeu *Veracitas*, eſt virtus cognata juſtitiæ, qua homo & vita & ſermone talem ſe demonſtrat, qualis eſt; & non alia, quam circa ipſum ſint, nec majora, nec minora. Hinc S. *Ambr.* Lib 2. *De Officiis*, cap. 19. *Quales haberi volumus* (inquit) *tales ſimus: & qualem affectum habemus, talem aperiamus*. Quamvis autem confiteri ingenue, quod circa ſeipſum eſt, ſit ex genere bonum, id tamen non ſufficit, ſed debitas circumſtantias concurrere neceſſe eſt, quæ ſi defecerint, actus erit vitioſus. Id itaque faciendum eſt, cum oportet, & ſecundum quod oportet. Nam *Vitioſum eſt, quod aliquis ſine debita cauſſa laudet ſeipſum etiam de vero. Vitioſum eſt etiam, quod aliquis peccatum ſuum publicet, quaſi ſe de hoc laudando, vel qualitercunque inutiliter manifeſtando*: (inquit S. *Thomas*, Secunda Secundæ, quæſt. 109. articulo 1.) Et in Reſponſione ad tertium: *Ex hoc ipſo* (inquit) *quod aliquis dicit verum de ſeipſo, medium tenet inter eum, qui majora dicit de ſeipſo, & inter eum, qui minora. Ex parte autem actus medium tenet, in quantum verum dicit, quando oportet, & ſecundum quod oportet. Superfluum autem convenit illi, qui importune ea, quæ ſua ſunt, manifeſtat. Defectus autem competit illi, qui occultat, quando manifeſtare oportet*. Ut autem modus ea in re ſervetur, opus eſt directione virtutis, quæ eſt veritas, ſeu Veracitas, de qua *Zachariæ* 8. 16. Dominus ait: *Loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo*. Et Apoſtolus ad Epheſ. 4. *Propter quod deponentes mendacium; loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo: quoniam ſumus invicem membra*. Hac Deo ſimiles ſumus, qui veraciſſimus, eſt immo prima, & ſumma Veritas; imitatores Chriſti ſumus, qui ad hoc venit in Mundum, ut teſtimonium perhiberet veritati; ut ipſe ait *Joannis* 7. Huic virtuti e regione opponuntur Mendacium, de quo agemus Lib. 4. hujus Operis, cum octavum Decalogi Præceptum explicabimus; Hypocriſis, & Jactantia, de quibus ſuperius actum eſt, cum de vanæ gloriæ filiabus ſermo eſſet.

Gratia ſive gratitudo.

VI. *Gratia*, ſive (ut vulgo loquitur) *Gratitudo*, virtus eſt affinis juſtitiæ, quæ officiorum, & beneficiorum ab aliis acceptorum compenſationem dirigit, ad eamque animum inclinat. Benefactoribus nimirum noſtris pro beneficiis ab iis acceptis gratiam habere debemus, etiamſi ea compenſare non poſſimus. Gratum autem animum ſignificamus, cum gratias agendo, tum honorem, & reverentiam his, qui bene de nobis meriti ſunt, exhibendo; tum acceptorum beneficiorum conſervando memoriam, eaque apud alios celebrando; tum fauſta quæque a Deo adprecando benefactoribus noſtris; tum gerendo voluntatem propenſiſſimam, & animum promptiſſimum ad compenſationem, & præſtanda officia poſſibilia; tum denique referendo gratiam æqualem bene de nobis meritis, quantum in nobis eſt. Ad hanc virtutem pertinet, quod Apoſtolus ad Galatas ſcribit c. 6. *Communicet autem is, qui catechizatur verbo ei, qui ſe catechizat in omnibus bonis*. Hac virtute fulſit David, qui beneficiorum a Jonatha Saulis Regis filio acceptorum memor, *Miphiboſeth* ejus filium ſervavit incolumem, ac Saulis agros donavit, atque ad Menſam ſuam recepit, ut legimus 2. *Regum*, c. 9. Gratum quoque animum exhibuit filiis Berzellai Galaaditis, qui ei præſto fuerant, cum Abſalomum fugeret, juſſitque Salomoni, ut eos menſa Regia exciperet in remunerationem Officii. (3. *Reg.* 2.)

Acceptum beneficium largiori manu compenſandum.

Acceptum beneficium largiori manu compenſandum eſt, quamvis ex animi affectu magis, quam ex effectu, gratia, ſicut & ipſum beneficium, æſtimanda ſit. Qua de re præclare S. *Ambroſius*, Lib. 1. *De Officiis Miniſtrorum*. c. 31. *Quid tam* (inquit) *contra officium, quam non reddere, quod acceperis? Nec menſura pari, ſed uberiore reddendum arbitror, & uſum penſare beneficii; ut & tu ſubvenias, quantum ejus ærumnam repellas. Etenim ſuperiorem non eſſe in referendo, quam in conferendo beneficio, hoc eſt minorem eſſe; quoniam qui prior contulit, tempore ſuperior eſt, humanitate prior. Unde imitanda nobis eſt in hoc quoque natura terrarum, quæ ſuſceptum ſemen multiplicatiori ſolet numero reddere, quam acceperit. Ideo tibi ſcriptum eſt*: „Sicut agricultura eſt homo inſipiens, & tanquam vinea homo, egens ſenſu. Si reliqueris eum, deſolabitur.„ *Sicut agricultura ergo etiam Sapiens, ut tanquam fœnerata ſibi majore menſura ſemina ſuſcepta reſtituas. Eſto tamen, ut aliquis excuſare poſſit, quod non dederit, quomodo excuſari poteſt, quod non reddiderit? Non dare cuiquam vix licet, non reddere vero non licet. Ideo pulchre Salomon ait*; „Si ſederis ad menſam Potentis, ſapienter intellige ea, quæ apponuntur tibi; & mitte manum tuam ſciens, quod oportet te alia præparare… *Conferre*

Prov. 23.

gratiam bonum eſt: at qui referre neſcit, duriſſimus. Humanitatis exemplum ipſa terra ſuggerit. Spontaneos fructus miniſtrat quos non ſeveris, multiplicatum quoque reddit, quod acceperis. Negare tibi pecuniam numeratam non licet, quomodo licet acceptam non referre gratiam? His, qui retulerint, Deus mercedem promittit, Eccl. 3. 34. *Et Deus proſpector eſt ejus, qui reddit gratiam: meminit ejus impoſterum, & in tempore caſus ſui inveniet firmamentum*.

Et c. 32. *Alius ergo fructum accepti beneficii, ut aurum auro, argentum argento rependit. Alius laborem, alius, haud ſcio, an etiam locupletius, ſolum reſtituit affectum. Quid enim ſi reddendi nulla facultas ſuppetit? In beneficio referendo plus animus, quam cenſus operatur: magiſque præponderat benevolentia, quam poſſibilitas referendi muneris. Gratia enim in eo ipſo, quod habetur, refertur*; (inquit S. *Ambroſ.*)

Duo in gratia referenda obſervanda ſunt.

Duo in gratia referenda obſervanda ſunt ex debito, & ratione honeſtatis. Primum, ut remuneratio non tantum æquet, ſed ſuperet beneficium acceptum. Debitum namque honeſtatis eſt, ut qui beneficium accepit, ſimiliter aliquid gratis impendat. Aliquid autem gratis impendere non videtur, niſi excedat quantitatem beneficii accepti. Nam ſi minus, vel æquale tribuat, reddere dumtaxat videtur, quod accepit, non gratiam referre. Sicut ergo in juſtitia attenditur *æqualitas rerum*, ita in gratia attenditur *æqualitas voluntatum: ut ſcilicet ſi ut ex promptitudine voluntatis beneficus aliquid exhibuit, ad quod non tenebatur, ita etiam ille, qui ſuſcepit beneficium, aliquid ſupra debitum recompenſet*; (inquit S. *Th.* 2. 2. q. 106. art. 6. in Reſponſione ad tertiam Objectionem.) Neque vero ullum incommodum eſt, ut in referenda gratia nullus finis eſſe videatur, dum ille, qui ampliori menſura remuneratus eſt, novo ſe devinctum beneficio merito exiſtimans, ad novum officium vel munus rependendum ex honeſtatis debito eſt obſtrictus, *Debitum enim gratitudinis* (inquit S. *Th.* in Reſponſione ad ſecundum) *ex caritate derivatur; quæ quanto plus ſolvitur, tanto magis debetur, ſecundum illud ad Rom.* 13. *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis. Et ideo Non eſt inconveniens, ſi obligatio gratitudinis interminabilis ſit*. Secundo, in gratia referenda obſervandum eſt, ut affectu quidem ſtatim beneficium rependatur; quod vero ſpectat effectum, ac remunerationem, tempus expectetur, quo ſit opportuna, & utilis benefactori. *Qui enim feſtinat reddere, non animum habet grati hominis, ſed debitoris… Pœnitet accepti beneficii, quem nondum redditi piget. Non minoris eſt animi beneficium debere, quam dare: ac eo quidem operoſius hoc, quam illud, quo majore diligentia cuſtodiuntur accepta, quam dantur. Ideo non eſt trepidandum, quam cito reponamus, nec præcurrendum intempeſtive; quia æque deliquit, qui ad referendam gratiam ſuo tempore ceſſat, quam qui alieno properat*. Verba ſunt *Senecæ*, Lib. 4. & 6. *De Beneficiis*, cujus principia, ut rectæ rationi maxime convenientia ſequitur S. *Tho.* iſta de Virtute diſſerens.

Ingrati animi vitium. Varii ejus gradus.

Gratiæ opponitur Ingrati animi vitium, cujus varii ſunt gradus. *Ingratus* enim *eſt, qui diſſimulat, ingratus, qui non reddit, ingratiſſimus omnium, qui oblitus eſt*. Ingratus eſt, qui gratiam non refert, mutuaque non præſtat officia, cum poſſit. Ingratus magis, qui ne verbis quidem gratias agit. Amplius ingratus, qui ne quidem gratiam habet, ideſt, acceptum non cognoſcit beneficium, ejuſque vel auctorem, vel magnitudinem. Nam etiam ille non habet gratiam, qui extenuat, & parvifacit beneficium. Longe magis ingratus eſt, qui ſe beneficium accepiſſe negat. Qui vero malum pro bono de ſe bene meritis reddit, omnium ingratiſſimus eſt, & monſtri inſtar execrandus. Ingrati animi vitium ſæpe veniale, aliquando mortale peccatum eſt. Qua de re judicium ferri poteſt ſecundum Regulam a S. *Thoma* traditam, 2. 2. q. 107. art. 3. *Ingratus*, inquit, *dicitur aliquis dupliciter. Uno modo per ſolam omiſſionem, puta, quia non recognoſcit, vel non laudat, vel non retribuit vices pro beneficio accepto. Et hoc non ſemper eſt peccatum mortale; quia debitum gratitudinis eſt, ut homo etiam aliquid liberaliter tribuat, ad quod non tenetur: & ideo ſi illud prætermittit, non peccat mortaliter. Eſt tamen peccatum veniale, quia provenit ex negligentia quadam, aut ex aliqua indiſpoſitione hominis ad virtutem. Poteſt tamen contingere, quod etiam talis ingratitudo ſit mortale peccatum, vel propter interiorem contemptum, vel etiam propter conditionem ejus, quod ſubtrahitur, quod ex neceſſitate debetur beneficio, ſive ſimpliciter, ſive in aliquo neceſſitatis caſu. Alio modo dicitur aliquis ingratus, quia non ſolum prætermittit implere gratitudinis debitum, ſed etiam contrarium agit. Et hoc etiam, ſecundum conditionem ejus, quod agitur, quandoque eſt peccatum mortale, quandoque veniale*.

S. Thomas c. 3. Seneca lib. 3. De beneficiis.

Ingratitudinis radix. Seneca, L. 2. De Beneficiis.

„Ingratus facit nimia de ſe opinio, & exiſtimatio, inſitumque mortalibus vitium ſe, ſuaque mirandi, aut aviditas, aut invidia. Nemo non benignus eſt ſui judex. Inde eſt, ut omnia ſe meruiſſe exiſtimet, nec ſatis ſuo pretio æſtimatum ſe putet. Hoc mihi dedit, ſed quam ſero? Sed poſt quot labores? Quanto plura conſequi potuiſſem, ſi illum, aut illum colere maluiſſem? Non hoc ſperaveram: in turbam conjectus ſum: tam exiguo dignum me judicavit: honeſtius præteriri fuit. Non patitur aviditas quemquam eſſe gratum: nunquam etiam improbæ

„ſpei,

„ſpei; quod datur, ſatis eſt. Eo majora cupimus, quo majora venerunt. Æque ambitio non patitur quemquam in ea menſura honorum conquieſcere, quæ quondam fuit ejus impudens votum. Nemo agit de Tribunatu gratias, ſed queritur, quod non eſt ad Præfecturam uſque perductus. Omnibus his vehementius, & importunius malum eſt invidia, quæ nos inquietat, dum comparat: hoc mihi præſtitit, ſed illi prius, illi maturius. Quanto ſimplicius, quanto pudentius beneficium acceptum augere! Plus accipere debui; ſed illi non facile fuit plus dare; in multos dividenda liberalitas erat, &c.

Beneficii ſubtractionem meretur ingratus.

Subtractionem beneficii meretur ingratus. Unde *Gregor.* IX. Pontifex Maximus, c. *Propter*: Extra, *De Donationibus*, reſpondet: *Propter ingratitudinem ejus, in quem liberalitas, collata eſt, Donator de rigore juris eam potuit revocare; ſi forte in ipſum impias manus injecerit, aut ſibi atroces injurias, ſeu grave rerum ſuarum damnum, vel vitæ periculum inferre præſumſerit*. Verumtamen, qui de altero bene meritus eſt, non facile debet illum ingratum judicare. Sæpe enim & qui gratiam non reddit, gratus eſt, quia forte facultas illi deeſt, aut opportunitas reddendi. Secundo, eniti debet, ut ex ingrato gratum faciat: quod ſi primo beneficio efficere non poteſt, ſecundo forſan conſequetur. Tandem vero ſi multiplicatis beneficiis magis ingratus fiat, a beneficiorum exhibitione ceſſandum eſt.

Vindicatio.

VII. *Vindicatio* virtus eſt, per quam vis, aut injuria defendendo, aut juſte puniendo propulſatur. Et quidem illicita vindicatio, ſi vindicantis animus, & intentio præcipue ferantur in malum illius, de quo vindictam ſumit, & ibi quieſcat; quia delectari de malo alterius pertinet ad odium, quod repugnat caritati, qua omnes homines diligere debemus. Nec excuſatur, ſi malum intendat illius, a quo injuſte injuria affectus eſt: hoc enim eſt vinci a malo, contra Dei Mandatum ab Apoſtolo ſignificatum, cap. 12. Epiſtolæ ad Romanos: *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum*. Si vero intentio vindicantis feratur præcipue ad emendationem peccantis, vel ad cohibitionem ejus, & quietem aliorum, & juſtitiæ conſervationem, & Dei honorem, aliæque debitæ circumſtantiæ ſerventur, ut ſcilicet publica, non privata auctoritate pœna inferatur, nec gravioris pœnæ deſideretur inflictio, quam lege conſtituta ſit, aut peccatum meruerit, virtus eſt. Punitio quidem peccatorum, quatenus ad publicam juſtitiam pertinet, actus eſt juſtitiæ commutativæ; quatenus vero pertinet ad immunitatem privatæ alicujus perſonæ, a qua injuria, ſervatis debitis circumſtantiis, propulſetur, ſingularis virtutis actus eſt, ſcilicet Vindicationis: adverſus quam duo vitia pugnant, unum per exceſſum, nempe *crudelitas*, vel *ſævitia*, quæ modum in puniendo excedit; alterum per defectum, videlicet nimia remiſſio in puniendo; de qua Prov. 13. ſcriptum eſt: *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum*: & *Servus verbis non poteſt erudiri*.

Liberalitas.

VIII. *Liberalitas* virtus eſt affinis juſtitiæ, qua bene utimur bonis omnibus externis ad vitæ ſuſtentationem nobis conceſſis, præſertim pecunia, in cujus convenienti datione, ac profuſione verſatur. Nec enim quibuslibet dat liberalis, alias non haberet, unde aliis daret; nec ſibi, ſuiſque neceſſaria ſubtrahit; nec in dando modum excedit, alias eſſet prodigus. Avaritia namque, & Prodigalitas vitia ſunt liberalitati e regione oppoſita, de quibus ſuperius actum eſt: illa per defectum; iſta per exceſſum. Qui vere liberalis eſt, ægre recipit, dat libentiſſime, cum oportet, & prout oportet: nunquam petit: quo vulgatum illud Diſtichon pertinet.

Si quis in hoc Mundo multis vult gratus haberi,
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

Modus in liberalitate ſervandus.

Modus in liberalitate ſervandus eſt, ut *Nec ſuperflua ſit circa importunos, neque reſtricta circa indigentes*; (inquit S. *Ambr.* lib. 2. *De Officiis*, c. 15.) *Plurima genera liberalitatis ſunt, non ſolum quotidiano ſumptu egentibus, ut vitam ſuam ſuſtinere poſſint, diſponere, ac diſpenſare alimoniam, verum etiam his, qui publice egere verecundantur, conſulere, ac ſubvenire. Summa etiam liberalitas captos redimere, eripere ex hoſtium manibus, ſubtrahere neci homines, & maxime feminas turpitudini; reddere parentibus liberos, parentes liberis, cives patriæ reſtituere… Æs alienum ſubire, ſi debitor ſolvendo non ſit, atque arctetur ad ſolutionem, quæ ſit jure debita, & inopia deſtituta; enutrire parvulos, pupillos tueri. Sunt etiam, qui virgines orbatas parentibus tuendæ pudicitiæ gratia connubio locent, nec ſolum ſtudio, ſed etiam ſumptu adjuvent*; (inquit S. *Ambr.*) Liberalitas ergo Chriſtiana cum caritate conjuncta eſt, nec propter finem ſolius honeſtatis, ſed propter Deum, propter finem caritatis, maximeque erga egenos exercenda. Nam & apud Deum, & ad ipſum quoque ſæculi uſum collatio beneficii facta in pauperes magis, quam in locupletes plus juvat; quia dives dedignatur beneficium, & pudet eum debitorem eſſe gratiæ. Quin etiam id, quod collatum eſt ſibi, meritis ſuis arrogat, quod velut debitum acceperit, vel ideo datum ſit eo quod is, qui dedit, reddendum ſibi a divite uberius exiſtimaverit. Ita in accipiendo beneficio, eo ipſo, quod acceperint divites, dediſſe ſe magis, quam accepiſſe exiſtimant: pauper vero, etſi non habet, unde reddat pecuniam, re-

fert gratiam; ut obſervat S. *Ambr.* lib. 2. *De Officiis*. c. 25. Chriſtiana liberalitas ab omni jactantia aliena eſſe debet. Qui gloriæ cauſſa, non propter bonum virtutis, multa largitur, non eſt vere liberalis, *Nec illa perfecta eſt liberalitas*, (inquit S. *Ambr.* lib. 1. *De Officiis*, cap. 30.) *ſi jactantiæ cauſſa magis quam miſericordiæ largiaris. Affectus tuus nomen imponit operi tuo: quomodo a te proficiſcitur, ſic æſtimatur. Perfecta eſt liberalitas, ubi ſilentio quis tegit opus ſuum*.

Duplex liberalitas.

Quamvis liberalitas ſecundum actum non ſit in iis, qui cenſu tenues ſunt, ſi tamen juſti, ac pii ſint, in illis eſt ſecundum habitum, & animi affectum, & officiis conſiliiſque illuſtrius utiliuſque ſupplent, quod pecuniæ erogatione non poſſunt. Id egregie confirmat S. *Ambr.* lib. 2. *De Officiis*, c. 26. *Utilis*, inquit, *hujuſmodi liberalitas, ſed non communis omnibus. Sunt enim plerique etiam viri boni, qui tenues ſunt cenſu, contenti quidem exiguo ad ſui uſum, ſed non idonei ad ſubſidium levandæ paupertatis alienæ; tamen ſuppetit aliud beneficentiæ genus, quo juvare poſſint inferiorem. Eſt enim duplex liberalitas: una, quæ ſubſidio rei adjuvat, ideſt, uſu pecuniæ: altera, quæ operum collatione impenditur, multo frequenter ſplendidior, multoque clarior… Facile pecunia conſumitur, conſilia exhauriri neſciunt. Hæc uſu augentur: pecunia minuitur, & cito deficit, atque ipſam deſtituit benignitatem, ut quo pluribus largiri volueris, eo pauciores adjuves, & ſæpe tibi deſit; quod aliis conferendum putaveris. Conſilii autem, operiſque collatio, quo in plures diffunditur, eo redundantior manet, & in ſuum fontem recurrit*.

Affabilitas.

IX. *Affabilitas*, ſive *Amicitia affabilitatis*, virtus eſt cognata juſtitiæ, qua homo ad alios homines in communi convictu comiter ſe habet, dictaque ſua, & facta ita moderatur, ut neminem verbis, aut geſtis offendat, & viciſſim ipſe aliorum dicta, & facta ſine offenſione accipiat. Virtus illa non erga illos tantum, qui proprie ſunt amici, exercenda eſt, neque erga ſolos familiares, ſed generatim erga quoſvis homines, quibuſcum nos verſari, & agere contigerit. Quamvis autem comitas, ſuavitaſque Morum nos inclinare debeat, ut delectationem his afferamus, quibus convivimus, non laſcivam, quam virtus cavet, ſed honeſtam: ipſis tamen interdum moleſtos eſſe, illoſque contriſtare ob illorum bonum, comitati, & amicitiæ non repugnat. Unde Apoſt. 2. ad Corinth. 7. ait: *Si contriſtavi vos in Epiſtola, non me pœnitet… Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad Pœnitentiam. Ideo His, qui proni ſunt ad peccandum, non debemus hilarem vultum oſtendere ad eos delectandum; ne videamur eorum peccato conſentire, & quodammodo peccandi audaciam miniſtrare*. Unde dicitur Eccl. 7. *Filiæ tibi ſunt? Serva corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas*.

S. Th. 2. 2. q. 114. a. 1. ad 3.

Affabilitas non ſolum privatis, ſed principibus viris neceſſaria virtus.

De iſta Virtute præclare diſſerit S. *Ambr.* Lib. 2. *De Officiis Miniſtrorum*, c. 7. *Nihil tam utile*, (inquit) *quam diligi: nihil tam inutile, quam non amari; nam odio haberi, exitiale, ac nimis capitale arbitror. Itaque id agamus, ut omni ſedulitate commendemus exiſtimationem, opinionemque noſtram, ac primum placiditate mentis, & animi benignitate influamus in affectum hominum. Popularis enim, & grata eſt omnibus bonitas, nihilque quod tam facile illabatur humanis ſenſibus. Ea ſi manſuetudine morum, ac facilitate, tum moderatione præcepti, & affabilitate ſermonis, verborum honore, patienti quoque ſermonum vice, modeſtiæque adjuvetur gratia, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis. Legimus enim non ſolum in privatis, ſed etiam in ipſis Regibus, quantum facilitas blandæ affabilitatis profecerit, aut ſuperbia, verborumque obfuerit tumor, ut Regna ipſa labefactaret, & poteſtatem ſolveret. Jam ſi quis conſilio, uſu, miniſterio officiis popularem, comprehendat gratiam: aut ſi quis periculum ſuum pro univerſa plebe offerat, non eſt dubium, quod tantum caritatis a plebe in eum refundatur, ut Populus ſalutem ejus, & gratiam ſibi præferat*. Id Moyſis, & Davidis exempla probant. Moyſes merito æſtimatus eſt ſuper homines, ut & vultum ejus non poſſent intendere, & ſepulturam ejus non repertam crederent; *quia ſic ſibi totius plebis mentes devinxerat, ut plus eum pro manſuetudine diligerent, quam pro factis admirarentur… Ideo David non cecidit, quia carus fuit omnibus, & diligi a ſubjectis quam timeri maluit. Timor enim temporalis tutaminis ſervat excubias, neſcit diuturnitatis cuſtodiam. Itaque ubi timor deceſſerit, audacia obrepit, quoniam fidem non timor cogit, ſed affectus exhibet*.

Chriſtianæ comitati non minus adverſatur adulatio, quam morofitas.

Comitas amicitias nectit, ac fovet, neque tamen amico, aut cuilibet hominum vir Chriſtiana comitate præditus adulatur. Huic enim Virtuti non minus adverſatur adulatio, quam moroſitas, & ruſticitas. Errantem amicum corripere, caritatis eſt, non moroſitatis. *Non poteſt homini amicus eſſe, qui Deo fuerit infidus. Pietatis cuſtos amicitia eſt, & æqualitatis magiſtra, ut ſuperior inferiori ſe exhibeat æqualem, inferior ſuperiori. Inter diſpares enim mores non poteſt eſſe amicitia; & ideo convenire ſibi utriuſque debet gratia. Nec auctoritas deſit inferiori, ſi res popoſcerit, nec humilitas ſuperiori. Audiat quaſi parem, quaſi æqualem: & ille quaſi amicus moneat, objurget, non jactantiæ ſtudio, ſed affectu caritatis. Neque monitio aſpera ſit, neque objurgatio contumelioſa: ſicut enim adulationis fugitans amicitia debet eſſe, ita etiam alie-*